






3283

B.L. 8.1. 741

#

Haute

(France)



FRANCISCI PLANTE
BRUGENSIS
MAVRITIADOS

LIBRI XII.

HOC EST:



Rerum ab Illustrissimo HEROE

IOANNE MAVRITIO,
COMITE NASSAVIÆ &c.

In Occidentali Indiâ gestarum

DESCRIPTIO POETICA.



LUGDUNI BATAVORUM,
Ex Officina IOANNIS MAIRE. Anno c^o l^o c^o XLVII.

Vaneunt Amsterodami apud IOANNEM BLAVIUM.

*ILLVSTRISSIMIS
AC POTENTISSIMIS*

**F O E D E R A T I
B E L G I I
O R D I N I B U S;**



*CELSISSIMO ARAVSIONENSIVM
P R I N C I P I
G V I L L I E L M O;
I N C L Y T Æ Q U E S O C I E T A T I S
I N D I Æ
O C C I D E N T A L I S D I R E C T O R I B U S,
F R A N C I S C U S P L A N T E
S. P. D.*



Uanto vos non Europæo tantum,
sed Americano quoq; Orbi miracu-
lo fitis ac terrori, Potentissimi Do-
mini, virtutes Bellicæ, ac stupendæ
hactenus per universum terrarum
orbem victoriæ vestræ ac triumphî
satis superque loquuntur. Horret ad nomen vestrum
Rex Hispaniarum potentissimus. Eripi sibi urbes, clas-
ses, regna coram videt, nec quo vires vestras, cres-
censque indies imperium retundat, perspectum habet.
Vacillant solium eius ac majestas. Immensam pridem
* 2 regni

regni sui jacturam ac justissimum divini numinis judicium perferat. Quibus eum viis, quibus armis ac successibus aggressi estis, totius nostri seculi annales perspicue demonstrant. Testantur non nostræ solum, sed adversæ etiam partis, exceptione omni maiora luculentissima testimonia. Qualia in scenam producere & per ea Illustrissima vestra nomina illustriora reddere, non nostrum jam erit adeo, cum eorum fuerit, qui laudes vestras cum nollent, inviti etiam deprædicavere. Non habent quod jactitent nationes aliæ, Phœnices, Carthaginienſes, imperium suum, si vobiscum comparentur; illi limitibus suis constricti, vos per omne littus, per universum orbem, potentiam vestram exeritis, nec extra vos quisquam vos circumſcribit. Mundus omnis sub imperium vestrum redigitur, Rerum Domini; totusque orbis in hoc vestro veluti coemittitur ac dividitur, Nunc Orientem subjugatis, nunc Occidentem, & ubique nominis vestri terrorem incutitis, ac triumphatis, nec est, qui resistat, nisi qui pereat. Tantum valet per se & virtute sua perſtans concordia. Agere, Potentissimi Proceres, memorabilia, eademque tradere posteritati, laudabile habitum apud quos virtutes æſtimantur. Hæc si pereunt, gloria simul perit, & imperiorum dignitas. Hac fide fretus offero vobis partem vestram, cum meum hic nihil sit, præterquam verba, & quod meum est, gratum quoque fore, quia jam vestrum est, certus confido. Habuistis hic belli
ducem

ducem I. Mauritium , Nassaviæ Comitem , Heroem inclytum & invictum. Nec temerè nec mirum , cum in illa stirpe imperii vestri robur ac fundamentum collocasse videatur summi numinis providentia. Non hic insurgam in laudes ejus , ut per me pretium aliquod aut honorem apud vos obtineat , potentissimi Domini. Tantum quippe abest , ut laudibus meis evehatur , ut supra omnem laudem positus , nullam admittat. Nostis ipsi jam ab annis multis bellicas Herois virtutes , prudentiam , Labores ac industriam, quibus se universo terrarum orbi probavit. Habetis quoque sic orbis novi victorias novas , non quidem eo quo debebant nomine conscriptas , sed quo pro otii mei ratione conscribere datum fuit. Parum scilicet interesse credo , si minus ego Poëtam egerim, ubi vos felicissime pugnavistis. Faxit Deus immortalis cuius ope Patriam vestram , Religionem & Libertatem hætenus in tuto locastis , eâdem porro eam defendere dignetur, ut non imperii tantum limites vestri , sed Religionis inprimis ac pretiosissimæ nostræ libertatis decus latius extendatur , firmetur , augeatur , ad nominis sui gloriam, & animarum nostrarum omnium salutem. Dabam Lugd. Bat. A°. MDCCXLVII. Mense Augusto.

*Vestris Illustrissimis Potentiis
Devotissimus*


FRANCISCUS PLANTE.

* 3

EX-

EXCELLENTISSIMO HEROI
I. MAVRITIO.
NASSAVIÆ, CATTIMELIBOCI &c.
COMITI.

BRASILIAE supremo terra marique
Gubernatori.



*I*bi, an mihi, an universo terrarum Orbi vitam Tuam gratuler, Excellentissime Comes, non facile iudicare est illi, qui singula magis admiratur, quam definit. Si mihi; in Telo-
boris mei Auctore unico totus recumbo. Si Tibi; vita tua, virtus ac felicitas, principibus aliis exemplo, dicendi mihi finem in ipso principio imponit. Agnovere iam pridem fœderata terræ admirandam tuam in rebus gerundis dexteritatem, nunc Te victorem Orbis Novi, universus terrarum orbis stupet. Modica militum manu oppida, provincia, classes, victæ, subactæ, dissipatæ. Asserueras domi Publico libertatem; mox in remotissimas excurristi terras, hostium viscera ultrò petiturus, & in Hispanicam messem falcem immissurus; ipsoque factò fieri posse ostendisti illud, quod tunc adunatum in hætenus præfracta multorum censuit desperatio. à Nassavio vinci, beneficium, & huic cedere, virtutis esse, America pridem, nunc devicta fatetur Africa. Hac silentio præterire non patitur officium meum, nec à maioribus nostris recepta consuetudo. Illi præclare de patria meritos duces laudibus extollere, eorumque famam ad posteros transmittere, ne strenui simul

ac

*at desides eodem fato obruantur , laudatissimo exemplo nos docuere. Facundiam ad id requiri quis inficiabitur? hanc verò quemadmodum mihi nec vindico , ita nec facile quempiam repertum iri mihi persua-
deo, qui verbis , virtuti tuae , omnes laudes supergressa , pretium ad-
dat. Huic derogare quippiam vereor, dum prædicare affectus suadet; cui
si quid tribuero, ignosces. Rem arduam suscepi, magne Imperator, &
qua summos atatis nostra Poetas exerceat, quam quò penitus introspi-
cio , eò magis animi pendeo, quibus pro argumenti sublimitate verbis,
honori Tuo, ac mihi satisfaciam. Hæc rerum tuarum magnitudo est,
hæc copia, ut ad incredibiles successus tuos, quos mens non capit , stupeat
ac conticescat. Ad nova subinde animus dum trahitur & maiora , sin-
gulum infelix obliuiscitur. Praclara tua facinora à miraculis pa-
rum abfuisse, ne ipsi tui hostes diffitentur. Ecce horret Americanus Or-
bis , inque toto belli tui decursu, constantiam, fortitudinem, an divini
potius numinis favorem suspiciat, incertus etiamnum exquirat. Cuius rei
admiratione ductus , hoc illustre providentiæ divinæ miraculum meis
etiam versibus signavi, non quasi prodigiosa tua felicitas opella mea indi-
geat, sed ut affectus mei optumi , quo Te veneror , publicum extet testi-
monium , hacque me a gratulatione probrosi ac contumacis silentii invi-
diam antevertam. Vive, Illustrissime Comes, ac fave*

Excellentissimo Nomini Tuo

dicatissimo

FRANCISCO PLANTE.

IN

IN MAURITIADA,

Illustrissimo HEROI

MAVRITIO NASSAVIO,
PATRONO DOMESTICO, SACRAM,

A D

Clarissimum Virum

FRANCISCUM PLANTE.



Hactenus AURIACAS, victricia signa,
phalanges,
Et stupet Heroum *Belgica* læta decus:
Quà tundit patriæ gratissima littora
glebæ

Nereus, & Rheno cum Patre Mosa timet:
Ingentem GULIELMI animum, quo vindicæ vires
Belga suas, Belgam noscere cœpit Iber:
MAURITIUM invicti vestigia magna parentis
Vidimus excelsâ mente graduque sequi:
Vidimus, & tanto Batavorum affurgere gentem
Auspicio, ac ipsi dicere jura *Tago*.
Absolvit FREDERICUS ovans ingentibus ausis,
Quod Patris & Fratris surgere cœpit opus.
NASSAVIIS vicisse parum est, quo vivimus orbe,
Figere & Arctoïis crebra trophæa plagis.
Quà patet Oceanus, tantæ patet area genti,
Sentit NASSAVIOS Orbis uterque Duces.
MAURITII hoc decus est, quem *Pernambuca*, *Siara*,
Et stupet infami trux *Tupinamba* dape.
Quem *Maurus* famulis veneratur flexibus, *Afer*
Quem tremit, & multo sole recoctus *Arabs*.

Victu-

Victurum ille decus victricibus erigit alnis,
 Et jubetarquatum flectere colla genus.
 Finiit Herculeos terrarum finis honores,
 Gades, extremæ credita meta plagæ:
 NASSAVIOS decorat, non finit, laurus honores,
 Quam *Tappuia* ferox, quam *Caraemba* ferit.
 MAURITIO Occiduo si crevit laurus in orbe,
 Heroum laurus cingere digna caput.
 Ecce nova Arctoo succescit laurus in axe,
 Quam parat eximii nobile Vatis opus.
 Augustam ille Domum, claramque à Cæsare stirpem,
 MAURITIQUE canit Martia gesta Ducis:
 Carbasque & pubem, quam toto Cantaber Indo
 Turgidus in Batavas iusserat ire rates:
Baniolaque fugam, & *Calvi* compendia *Portus*,
 Et tanti auspiciis valla subacta Ducis:
Indigetum Bahiaeque finum, celebremque catastam,
 Quam mediastinis *Angola* foeta refert:
Mauritiam molem, quâ nil excelsius isto
 Subsole attoniti Maurus & Indus habent:
 Atque uber glebæ, notis ubi sacchara cannis
 Extundit famulis molibus Afra manus.
 Singula quid referam? referat cùm singula nostri
 Vatis Opus, Batavi splendida gaza tholi.
 Fallor an, ambiguum est, an plus victricibus armis
 Debeat, an calamo *Mars* novus iste tuo.
 Ferrum Hostem domuit, domat ævum pagina, serus
 Ne queat Heroem dememinisse Nepos.
 Conveniunt virtusque Ducis, geniusque Poetæ,
 Materiesque isto pollice digna fuit.
Occidui decoris spoliū si Victor Iberi
Ense tulit, calamo temporis iste feret.

FRIDERICUS SPANHEMIUS.

**

IN

IN
FRANCISCI PLANTE
MAVRITIADEM.



*Lantarum memoranda seges comitatur ab imo
Vespere victoris tempora Mauritij.
Fas erat America perarantes viscera Veste
Totum Nassavios subdere Vesputium.
Evellenda fuit stirps cum radice subacta
Telluri, ne non tota subacta foret.*
*Barbara frons fronti Batavia collecta coronam
Implicat, & lauri perperis instar habet.
Currite ad hac avidi nostrates dona Galeni:
Gratior aspirat naribus aura meis.
Appulit has inter plantas his floribus, hisce
Fructibus in Patria nunc quoque PLANTA virens.
Appello Hippocratem, dicet convictus: Eoas
Inter & Occiduas non habet ista parem.*

CONSTANTER.

IN

IN DUODECIM LIBROS

DE

Rebus ab Illustrissimo HEROE

IOANNE MAVRITIO,

COMITE NASSAVIÆ &c.

In Occidentali India gestis,

à

Reverendo Viro , F. PLANTA conscriptis.

NVictus heros inclutusque, cui noster
Angustus orbis, qui viam manu stravit
Ferroque & armis, non domabilis cuiquam,
Qua lucis autor orbe cedit extremo,
Seroque vultum & ora diluit ponto;
Hic vincit, hic triumphat, hic suis vivit,
Æternitati consecratus & famæ,
Morique vetitus; non salubribus curis.
Et arte Coa, non salubribus plantis,
Quas Sol renascens occidenſque Belgarum
Transmisit oris, contulitque non unam.
Uni sed illud impūtabitur Plantæ.

DANIEL HEINSIUS.

** 2

IN

IN LIBROS
MAVRITIA DOS
XII.

Clarissimi Viri

FRANCISCI PLANTE,
Nuper apud BRASILIENSES Ecclesiastæ
Aulico.

D*Um tuus adversos acer bellator in hostes
Dux ruit, atque alio sidere bella gerit,
Nassoviaque volant per barbara regna phalanges,
Et circum attonitis gentibus, horret Iber:
Tu Phæbi, Francisce, tubam non Martius inflas,
Quaque Deum, lituos voce Ducesque canis.
Buccina cœlestis Fidei, iam buccina belli es,
Et placida pacis praco cruenta sonas.
Ut iaculis pictoque tuus trux accola vultus
Militet, & nudus corpora victor ovet.
Ut victos laniet crudis sub dentibus artus,
Tantaque victorum premia ventre gerat,
Et credat potuisse mori, quos vivere nollet,
Et vita fieri pabula membra Ducum.
Scilicet ignorant Samij præcepta magistri,
Et sapidis vesci carnibus esse nefas.
Ista per Occiduos narras pugnata recessus,
Quaque cadit Titan curribus, exoreris,
Et vates vexilla levas. Cœlique minister
Victrices memoras Numinis esse manus.
Mauritium tua Musa vehit, quem vexerat orbis.
Famaque carminibus spargitur ampla tuis.*


Quas

*Quas lauros meruere, domi meruere, Camilli.
Quas noster, voluit promeruisse foris.
Aemulus Aeneadum Drusique per aquora Martem
Vexit, & ignoto fixit in orbe pedem.
Hesperiasque accidit opes, Batinque Tagumque
Exuit, & puppes, magne Philippe, tuas.
Iam nostra fundunt dulcissima sacchara canna,
Et Batavum versat barbara dextra molas.
Iam procul hinc victis cives habitamus in oris,
Nostraque Pantagonum facta farina fuit.
Clauditur hoc uno Pellei gloria mundo:
Herculei Gades meta laboris erant.
Implet Nassovius geminos, & militis huius
Aethiopum longè gloria transit aquas.
Tiphy, novos orbes aperi. si tertius esset,
Hoc etiam posset littore stare Comes.*

C. BARLAUS.

I N L I B R O S
M A U R I T I A D O S

Dⁿⁱ F R A N C I S C I P L A N T E .

 Undit inexhaustum tibi dum vis entheape-
ctus,
Nassoviumque vehunt carmina Mauritium,
Scipiade Calabrum jungis, Calabroque beatum,
Vate, refers, Vatum maxime, Scipiadem.

Ille sed Heroas inter quà celsior exit,
Cunctaque *Cesareis* æmula signat *Avis*,
Te secum in dias gaudet succedere palmas;
Antecapitque animis *ulteriora* suis.
Quaque revolvendos in Iberum devovet annos;
Scit sibi perpetuum, scit sine morte decus.
In partes modo *Plante* veni, contermina cœlo
Nomina *Pieriis* tollere docte modis.
Affere Te, *Patria*que *Patres*, potioraque *Brutis*
Pectora, sublimes affere *Nassovios*.
Celsior his tantis meritis, & compare venâ
Afferet ipsa suis se *Tua Musa* polis.
Dictaque magnanimis surgunt dum grandia factis,
Scriptorem attollent carmina, gesta *Ducem*.

T H E O D . G R A S V V I N C K E L .

I N

IN
Clarissimi ac Eruditissimi Viri,
FRANCISCI PLANTE
MAVRITIADEM:
QUA

Illustrissimi invictique Herois,
MAURITII NASSOVII,
res novo in orbe gestas æternitati
redux consecravit.



Vssus in ignotum quondam NASSAVIUS orbem
Tendere, & ignoto spargere bella mari,
Sparsit, & abstrusum patrius virtutibus orbem
Terruit. Adversos gens habet ista Deos.
Iret ut in notas etiam Dux inclytus oras,
Totius & fieret posteritatis amor,
Prima inter tanti Phæbus præsagia belli
Plantiadæ comites iusserat ire Deus.
Castaliâ quamquam procul & Permeßide lymphâ,
Castaliæ numen subdidit Indus aquæ.
Totaque non noto sparserunt flumine Vatem
Solaque cultori numina nota suo.
Conditur augustum, & digestis ordine rebus,
Sera quod intrabit secula prodit Opus
Non novus hic orbis colitur. Vatemque Ducemque
Hic simul antiquis adspicis ire pares.

MARCUS ZUERIUS BOXHORIUS.

EPI-

EPIGRAMMA

AD

L E C T O R E M.

Illustres virtute viros hic, Lector amice,
Cernis, & in laudes quemlibet ire meas.

Si nimia huc congesta putes encomia, nec me
Carminibus tantum promeruisse decus;

Non nego, nec tantam nobis, precor, objice culpam.
Nomina, quæ certè respuo, cedo Tibi.

FRANCISCUS PLANTE.

FRAN-

I

FRANCISCI PLANTE
MAVRITIADOS

LIBER I.

ARGUMENTVM.

D*ivinum imploratur auxilium. Belli causa proponitur. Hac commota Astra Iovem compellat. Deorum ille vocat concilium. quo finito malis occurrit, Martique quid faciendum sit aperit. Mercurij legatio describitur. Re cognita Batavi percelluntur. Hos Bellona, Apollo, Mars certa ratione animant. Deo illi gratias persolvunt, eumque beneficiorum auctorem agnoscunt. Brasiliae tractus à natura beneficiis latius extollitur ac laudatur.*

B*ella ducemque cano, primis qui victor
ab annis
Hesperias invasit opes, ferroque cruento
Martia Cantabrici convulsit robora
sceptri;
Vasta cui tellus, cui panditur orbis in
orbe,*

Claraque Brasílico surgit victoria regno.

*Nassavio molimur opus, rursusque per undas
Et vastos pelagi fluctus comitamur ovantem
Cæsarea de stirpe ducem; juvat ordine longo
Pugnaces Batavorum animos, bellicque labores
Pandere, & exhaustos cantu celebrare triumphos:
Huc faciles properate Deæ, date currere campis
Occiduis, placidoque ruat per tela, per enses,
Flumine, & Aonios degustet Musa liquores.
Iam Phœbi novus ardor agit, iam pectore toto*

A

Mars

Mars furit, & rapidis urit præcordia flammis.
 Hic diræ occurrant acies. video agmine largo
 Hesperios sævire duces, Acheronteque rupto
 Eumenides ruere, & Stygiis involvere nimbis
 Ætheria de gente viros; video irrita Regis
 Fataque, conatusque, & quondam horrentia belli
 Fulmina, prostratasque aquilas; video auspice cælo
 Vincere Nassavium, fractosque invertere muros,
 Hic victas frænare acies, hic demere mundo
 Nomina, & occiduis lauros defigere glebis.

Hæc, Mavors, dum gesta cano, tormenta que cerno
 Bellica, & obscuris coelum stridere tenebris,
 Eripe, Phoebe, tuum tanta caligine vatem,
 Nec confors sit Musa mali: bella, horrida bella
 Ordior, atque novi renovo certamina mundi.

Tu modò, Mauriti, Maurûm qui fata coerces
 Imperio subjecta tuo, qui legibus orbem
 Occiduosque domas axes, cæloque refulges,
 Huc ades, & nostros placidè partire labores,
 Nec lauros contemne tuas: tua bella canentem
 Erige, & extremis surgant tua nomina terris.
 Trans mare, trans Nilum, trans vasta cacumina curris
 Victor, & heroas audit procul incola laudes,
 Audiit Hesperiaë dux inclytus, audit Eous
 Orbis, & occiduis resonant pia carmina campis.
 Te cano, Mauriti, quamvis non passibus æquis
 Musa ruat cum Marte tuo. Tu, rector Olympi,
 Respice Sisyphios, queis me submitto, labores,
 Nec faciles averte manus, ne numina culpem,
 Si feriat caput innocuum revolubile saxum.
 Laudis quippe tuæ geritur pars maxima, lauri
 Altera Mauritio certat; super æthera latè,
 Plus quam quâ radios Grynæus spargit Apollo,
 Quam terras, tractusque maris, cælumque profundum
 Dividis, excellat divinæ gloria famæ,

Nec

Nec moriturus honos : sed quæ natura creatrix
Terminat inferius , nostris sint nata triumphis.

Te modò posco Deum vires ; nihil inchoat altum
Te fine mens erecta , nihil fine numine Divûm
Proficit , aut alibi quicquam laudabile finit.
Erige me , dum signa cano Nassavica , celsi
Cardinibus suspensa poli. Da flare secundas
Phœbe auras , linguæque favens retinacula solve.

Gloria Battaviæ dudum neglecta jacebat ,
Actenebris damnata suis. Furibundus in iras
Surgit Iber , nulloque truce frænante tyrannum
Proruit indomitus. videas genus acre leonum ,
Cui rabiem funesta fames exfuscitat , horrens
Voce fremit , prædamque immani vulnerat ore :
Haud aliter vesanus Iber , fera bellua , monstrum
Tænarium , ac stygii vultur crudelis Averni,
Subjugat imperio totum , quâ volvitur , Orbem,
Immensaque siti bibit ac spuit ore cruorem.

Hæc Astræa Deûm celsa regione locata
Desuper adspexit , conquesta tyrannidis atrox
Infandumque scelus ; sic , sic , ait , ulta manebit
Terra parens , nec tempus erit succurrere lapsis,
Ulciscique ultoris opus ? proh Iuppiter , inquit,
Te volo , consilioque meum lenire dolorem.

Concilium ex templò Divûm pater atq; hominum Rex
Convocat. alatis properant pia numina plantis
Ætheriam in sedem mediam. post Iupiter infit :

Quam sua libertas miseris præscinditur Indis,
Quam dirè convulsus honos hominumque Deûmque
Horruit immanes ausus , dextræque furentis
Immissam rabiem. tellus maculata cruore
Ingemit , ac voces meritò intractabilis arcet.
Divisum imperium nobis , sic diva voluntas
Ordinat , unanimes contra sibi vindicat uni
Terrarum tractusque maris vastator Iberus.

A 2

Iuppi-

Iuppiter hæc verbo ; pergitque Astræa sonoris
 Seque Deûmque choros convellere mæsta querelis.
 Nosti , inquit , sacrata cohors , quæ causa doloris
 Prima mei , quod turpe nefas discedere terris
 Urfit , & insanos hominum vitare labores.
 Ah quoties stygiomecum lacerare furore
 Infandos volui casus , quotiesque minata
 Ancipiti Hesperidum confringere regna securi !
 Vix ea fata fuit ; pergebat regia Iuno ,
 Irarum rapido stridens in pectore motu :
 Cogor , ait , tenebrosa silentia rumpere Divi ,
 Cogor & obductum verbis proferre dolorem :
 Horrida Battaviam vexabunt arma Philippi
 Æternùm ? satiare gulam non discet hiantem
 Sera dies , quæ jam toties malefana cruore
 Imbuit unanimes concordifædere terras ?
 Proh scelus infandum , nostros deposcit honores ,
 Inque tuam , ô Conjux , adspirat scandere sedem !
 Audiit illa Venus , timidoque hæc ore profatur :
 Sæviit Hesperidum Ductor , tumidusque secundo
 Marte ruit , mundi portas ac moenia fregit ,
 Derisit Superûm curas , justosque furores ;
 Ut prius Astræam , sic me , sic Palladis artes
 Ludet , & in terræ gremium si flectimus ipsi ,
 Mox cæli Dominum se dicet & esse Tonantem.
 Tum Pallas ; Ne finge metum , Sapientia victrix
 Fortunæ , solamen erit. docuêre priora
 Secula , non uno procederetramite quondam
 Felices. fortuna rotat , Stygiaeque sub Umbras
 Quicquid in excelsis tumidum regnare solebat
 Disjicit , ac patulo ponit spectacula mundo.
 Iuppiter assensus varios divisaque vidit
 Numina , turbatosque Deos ; spes erigit illos ,
 Hos pavor ante diem gelidus ferit. Omnis in unum
 Turba Iovem vultus pavidos convertit , & ora.

Tum

Tum Pater omnipotens divina oracula pandens
Sceptra levat, nutuque omnem percellit Olympum.
Æthera celsa silent, ventorum prœlia cessant,
Et validos sedant flatus; dumque auribus adstat
Arrectis sacrata cohors, sic voce profatur.

Quam nequeo dudum insanos perferre labores
Hesperiae, scelere immani patientia victa est.

Heu quoties lacerare superbi culmina tecti
Mens non læva fuit! demens super æthera famam
Sparsit, & in regni mecum se parte locavit:
Sæpius internâ volui calcare palude
Infaustum caput, atque iterum clementia vicit.
Nunc ratio, nunc tempus adest, quod fata crearunt
Vindiciis, laurisque suis; damnanda potestas
Impia; si dextræ huic virtus, si robur inhæret,
Haud patiar Stygiis scelus hoc superesse cavernis.

Dives terra latet, vultus ubi condit Apollo,
Postquam fessus amat requiem, Occiduumque cubile;
Hanc soboles generosa Deum Battava propago
Invadat, gazasque petat fossoris iniqui.
Sic volo, si rebus quondam per numina vires,
Nunc erit in terræ gremium monstranda potestas.

Exultat divina cohors, dictoque quiescit.
Iamque sibi armisonans Mavors de rebus agendis
Prospicit; exspectansque sui mandata parentis
Mercurius, decreta Deum deferre per auras
Tempestivus adest; ille hæc edicta recepit:

En tibi terrarum Domitor cui perfida dextra
Introitum in superas dudum promiserat arces
Compellendus erit, folio fulgebit in aureo,
Os humerosque Deo similis; Cantabria Regem
Suspicit, immanem Batavi didicere Tyrannum:
Concutias horrore caput; tremor occupet artus,
Quos pridem insani tumefacta superbia monstri,
Mortalem supra sortem subvexerat altum:

B

Inde

Inde Batavorum sedes , tractusque pererra ,
Teque tui jussu cœlestia regna Parentis
Deseruisse refer , totamque ex ordine gentem
Hispanam , impulsu Divûm formidine fractam.

Protinus Occiduas , ubi sol caput abdit , arenas
(Hoc Iovis effatum est , illic generosa metalla ,
Hic firmanda salus , rerum illic nervus opimus)
Classe petant , fumantque animos , ego Iupiter adsto
Dux maris , & rapidi parebunt numina ponti.

Ut primùm Hesperias tetigit Cyllenius oras ,
Adspectu obstupuit : sublimibus alta columnis
Regia Regis erat , rutilum quæ gloria cœlum ;
Fulgida Cantabrici replebat tecta tyranni.

Ast sua Mercurius volvens mandata Parentis ,
Insigni terrore domos , ac regia tecta
Concutit , horrendum genua intremuere ; refugit
Et calor & sanguis : gustat præfaga malorum
Omina mæstus Iber , dimissas cœlitus iras
A Iove persensit , duræ præludia fortis.

Aëra jam vibrans fremitu super æthera pennis
Surgit , & in Batavûm oppressas se conjicit oras
Nuncius , & quæ sit Divûm sententia pandit.

Ipse Deûm pater omnipotens , quem numina , dixit ,
Vastaque submisso tellus veneratur honore ,
Me procul ex alto pridem demisit Olympo ,
Hesperio dare jussa duci : capiti atra procella
Imminet ; heu Furias Orco revocare rebelles ,
Latrantesque canes , totumque Acheronta movere ,
Noctigenasque Deas regno injectare colubros ,
Fulminibus stipare suis , Phaethontis & armis
(Sic fors quæ faciles vultus , modò fumat acerbos)
Consilium excelsa Superûm juravit in aula.
Hic modus , illa via est (si fas ita credere Divis)
Occiduas tentare plagas , axesque cadentis
Solis , ubi gazas tumidus secluserit Iberus.

Hunc

Hunc spectate novum ratibus victricibus Orbem.
 Ponè subit victor felix cum Castore Pollux,
 Ipse Deûm Genitor cœlo comitatur ab alto.

Stultius ætherias fedes ambire Philippus
 Terrarum satur, ausus erat; vilescere quicquid
 Inferius, nec terra magis, vix astra placere,
 Sternere Marte viros, ac perdere cæde cruenta,
 Gloria, barbaricusque remugit subtus hiatus.

Res exosa Deo, mens deturbare Tyrannum
 Desuper ex folio, & tenebrosâ claudere nocte
 Nomina, quæ Phœbi radios, & Apollinis altum
 Exsuperasse jubar, vesano detonat ore.

Dixit, & ex oculis tenues erupit in auras:
 Conveniunt Batavi Proceres, cœlique benignos
 Attoniti hoc Divûm monitu stupuère favores,
 Accipiuntque oracula pij; verûm ardua rerum
 Culmina scindebant vota in contraria sensus,
 Spesque timorque fidem alternant; pars facta negare,
 Pars alia Hesperidum fraudes, artesque vereri.

Interea Batavos videas hinc inde ruentes,
 Haud aliter quam si campus dum messe virefcit
 Per flores glomerantur apes, neque tanta videmus
 Agmina in umbrosis avium se condere silvis,
 Verna ubi tempestas & frondea gramina surgunt.

Abstrusa hîc iterum quivis de voce popelli
 Collige, nullum unquam fumo, ventoque fefellit
 Iupiter, aut astu quemquam decepit inani.

Destitit hic claris Batavus diffidere rebus,
 Et veluti humano nulla est fiducia dicto,
 Sic Divûm est infracta fides; gravitasque premebat
 Sola rei; nulli placuit temerarius ausus,
 Neve ruens cæco præceps audacia cursu;
 Non magis atque Iovi quî fulmen, carmen Homero,
 Et clavam invicta fatagunt evellere dextra
 Herculis. Hinc terræ Dominum Regemque potentem

Inflammare tubæ sonitu , res pondere gliscens,
Ardua que , & Superûm solo aggredienda favore.

Stat præsens Bellona ferox , spem ponere in armis
Mandat , & in vigili Superûm requiescere cura.
Undique firmatur Batavus ; nunc augur Apollo
Ex Iovis abstruso profert oracula fonte :
Nunc Mavors septem Borealia sydera nectit,
Eventumque probat faustum , Nymphæque sorores
Applaudunt , laurosque parant victricibus armis.

Res pavidos inopina juvat , disjectaque corda
Roborat , imperiumque patens monstratur in ipso
Vespere , & affulgens illinc lux alma tenebras
Discutit. Heu clades Procerum , flammæque piorum,
Infantesque rogos , quibus ante Batavia Mater
Arfit , & excisas magnis ululatibus urbes !
Quam subeunt hærentque imis infixæ medullis
Corpora cæsa Patrum : quàmque his ex ossibus ultor
Surgit , & iratos acuit vindicta nepotes.

Iam ferro frangendus Iber ; dispendia Titan
Cernat , in Oceano Nereus , doleantque fuorum
Albani veteres , quas nunc ulciscimur , iras.

Heu quàm iusta Deûm virtus , si sævit Iberus
In Batavos ferro , sævos didicere furores
In caput auctoris bellante refundere dextra.
Sævitum in miseros horrendis stragibus Indos :
Sæpius extensæ tolluntur in æthera palmæ ,
Et monstro Hesperio quid enim nisi dira precentur.

Improbitas , noctisque furor , qua tigride natum,
Quave ferâ te terra dedit ? num dira Leænæ
Hircanæ , aut si quid sitiens foveat Africa pejus ,
Ubera ficcasti ? aut duris te cautibus horrens
Caucasus extrusit ? rapido torrebat in igne
Antiochus ; scelere immani tu immanior illo es.
Quid puer innocuus meruit , cui prima cruentæ
Mortis , prima dies vitæ est ? sine fraudibus ætas ,

Nec

Nec teneri infantis risus, nec flectere possunt
Vagitus pueri, nec foeminei ululatus?

Quàm sine lege ruis? quantas Brafilia clades
Deploras, miserata tuæ tot funera gentis,
Immersosque truces jugulis infontibus enses!

Ecce iterum medicina malis: properabit ab ortu
Belga per occasum ratibus, metamque furori
Ponet, & invisi solium subvertet Iberi.

Hæc via vindiciis; hæc libertatis honoræ
Gloria, si que juvat veteres augere triumphos,
Tentanda est fortuna foris, quocunque recurres
Se prodet quod perdat Iber. Cur sede Batava
Hactenus arma strepunt? cur non PLUS cogitat ULTRA
Belga potens? Tellus quondam est inventa Columbo,
Quà Phœbus cadit, ac fractis fervoribus undas
Lambit, ibi fessus vixdum requiescit iniqua
Barbarie, sedemque istis deflectit ab arvis
Vindictam extorquens Superum. cur quæso vocantem
Negligimus Phœbum Batavi? cur nostra triumphos
Secula non fitiant? his oris bella Batavus
Finiet, hic dabit æternam victoria pacem.

Non magè Belga gravem, fortem Germania, sævum
Gallia, terribilem Venetus plorabit & Indus.
Nos (sic nostra fides) nunquam stravère sarissæ
Hesperidum, dis gleba fuit, quæ sola triumphat!

Cesserat imperiis ortus, sub miserat Indus
Turpi terga jugo; ferro constringitur Afer;
Sæpius Austriacis tellus Battava favillis
Arfit, & in dubium est rerum deducta periculum:
Sæpe suo volvens animo, num Belgica Regi
Subderet Hesperio fasces, num sperneret audax
Regnatoris opes Asiæ, cui totus ab ortu
Mundus ad occasum stabat mercabilis auro.

Vestra quidem Superi dubios clementia casus
Pronior avertit; certat pars parvula mundi

Perstans jure suo, victumque ulciscitur Orbem.

Aurifera cantant raptum de Colchide vellus;
Quidni etiam in Batavis tantos miremur honores?
Et Minyæ nobis, & nobis fortis Iason,
Et Colchis rapienda venit, fulgentiaque arva.

Pergite Battavicæ Mavortia pectora pubis,
Iam pavidis dudum venis expalluit aurum
Vespere, victores ardens admittere Belgas.

Credite si capiti cadat hæc avulsâ corona,
Ocyus Occidui revirescet gloria mundi.
Indus ovaturus sævo qui liber aratro
Colla levet; fossoris opes, generosaque prodet
Munera, & extremis multum exultabit in oris.

Hæc dum fata finunt gratus sub corde Batavus
Volvebat, Divûmque immenso afflatus amore,
Solvitur expansa in laudum præconia lingua.

Gratia, Dî Superi: fas fit procumbere sacras
Ante aras, flexoque genu, palmisque levatis
Ire per immeritos demissius ore favores.

Maxime fatorum domitor, semperque vigentis
Imperii, quàm regna uno vastissima nutu
Disjicis, ac veteres detrudis jure colonos!
Rex auro invictus, quo nil sublimius uno,
Nil majus gemmata colebant atria regum,
Vi Superûm ad Stygias sic deturbabitur Umbras?
Sic præceps ruet, & densa caligine tectus
Lethæas sorbebit aquas? nec gloria tanget
Amplius obductum tenebrosa nocte tyrannum?
Surget in adversum Batavus, regemque tremendum,
Regnaque purpureosque ducis lacerabit honores?

Non mea si cunctis distillent montibus undæ,
Si Siloe latices, si pocula porrigat Hebron,
Si Dan ipse riget vatem, tua prodere facta
Lingua queat, laudesque tuas. en pondere rerum
Obruor, immensæque absorbent carmina lauri.

Flectis

Flectis in abjectum atque oculis, pater, adspicis æquis
Indignum telluris onus ! fastidia quidni
Longa fatigatam cogant ad verbera mentem?
Nos, si nostra vides scelerata piacula culpæ,
Si vitii immensam molem, violataque sæpè
Numina, perversæ ploramus crimina vitæ,
Impiaque ingenuo damnamus corda pudore,
Sicque per ætherios spatiatur carmen honores.

Dive parens & Origo boni, cui vasta per Orbem
Machina Battavicæ debet momenta salutis,
Accipe (dum linguam solvit mihi Musa) Camœnas,
Muneraque in niveo resplendens gratia vultu
Indicet excelsa non despectarier aula.

Heu quoties quassata domus, vastata piorum
Agmina, justitiæ & plagæ præsaga futuræ
Omina turbabant ingenti pectora planctu!
Heu quoties stimolata Deum suppressa resedit
Ira, nec inceptos exhaustit corde furores!

Numquid apud Superos meriti? num gratia frontis,
Vel tua majestas sic movit fata, Batave?
Pone precor fastum, non in tua Iupiter altus
Gesta, nigræ qui mortis eras, spoliūque Gehennæ,
In sua clementes deflexit primus ocellos:
Sufficiens nam sola sibi, nihil indiga nostri
Vita Iovis; vanos hominum quid spectet honores,
Cui sua majestas pretium est? mensuraque laudum
Laus sua? cui facies proprio fulgore coruscat,
Tunc quoque cū tenebris latuisti tectus opacis?
Si quis apud Superos meritum spectasset amorem,
Non magè te Batavum, quàm vos coluisset Iberos
Iupiter, ac tantis te conservare triumphis
Iustitiæ lex passa foret: superaverat atrox
Culpa fidem, poenamque immanem ponè trahebat.
Quicquid delirant Batavi, plectuntur Iberi,
Et simili ratione reos diversa reatus

Poena

Pœna ferit. fontes illos præclara trophæa,
Hos strages tenet, ac Superûm implacabilis ira.

Dic mihi terrarum domitor, cui sæva tyrannis
Causa mali, fortisque trucidis, num Iupiter unquam
Nomen ab humana voluit sibi surgere laude?
Aut faciem ad vanas terræ deflexit habenas?
Si modò labentis transactos temporis annos
Mente tenes, memori si pectore prisca revolvis
Secula, supremi Genitoris sola micabit
Gratia, præclaris bonitas lucebit in ausis,
Quam vario explicuit rerum sapientia vultu.

Dic mihi cur genus Ifacidum dilecta propago,
Tunc cùm labentem nondum mortalibus annum
Lumina proveherent, incrustatumque tenebris
Horreret Chaos? aut tellus quæ lacte fluebat,
Dives opum, cur externæ fit gloria gentis,
Elysiosque alternat agros natura novercans?
Ni tua, celse Parens, amplexus gratia fonti
Figeret, immeritumque animo inspiraret amorem,
Quam noctis forma, quam cæco carcere clausa,
Quam tenebris obducta fuissent nomina tetris!

Magne Deus, dum cuncta creabas, providus uni
Tu tibi finis eras: quid te nisi sola voluntas
Movit ad hos ausus? spissa caligine mundum
Triste Chaos (poterat sibi displicuisse) tegebat,
Secula tu spatiis dirimis, radiantiaque æthræ
Expolit astra dies, tenebrisque emerfit opacis,
Et rediit novus Orbe decor: Phœbeia lampas
Fulsit, & optatos cælo persensit honores.
Quod virides crescant lauri, quod gramina campis
Luxuriant, ridetque novis in fructibus arbos,
Floraque odoriferis pratis expandit honores,
Pascit oves Corydon, volitantque per aëra turmæ
Aligeræ, lascivit equus, tua gratia sola est,
Immeritusque favor. Cujus, dic quæso, laboris

Cura

Cura, rei cùm summus apex, fulgēnsque Creantis
Gloria factus homo est? finges spectare caducas
Immotum laudes, fluidisque insurgere factis?

Dic mihi cur puppis vastis servetur in undis
Cum surgunt venti, volvuntque ad sydera fluctus
Æquora Neptuni, ac contrà coelum omne remugit?
Tur rerum Moderator ades, violentaque transtris
Arva domas, moti compescis murmura Pōnti,
Et vastos subitò torques in Tartara fluctus.
Te Regem, Pater alme, doces; præfracta tyrannis
Colla premis, sceptroque malos ultore coerces,
Fataque, bellorumque minas, regumque furores
Siftis, & ad nutum totus se accommodat æther.

Hæc ego si tacitus mecum sub pectore volvo,
Si primas rerum satago pernoscere causas,
Caligant mentis radii; stupet omnis in uno
Ingenii virtus. quod si mihi munera linguæ
Culta fluant, firmentque loquentem Nestoris ora
Facundo resoluta sono, Demosthenis ultro
Eloquii nitor in nostrum si funditur usum,
Ibit in abstrusos impar mihi lingua recessus.

Pharonem & Pharios mergebas gurgite currus,
Ducebasque tuam deserta per avia gentem:
Sic tibi sanguinei submittis sceptrâ Tyranni;
Sic facis attonito solus miracula mundo.

Alme Parens, citius radiantia sydera credam
In chaos antiquum lapsis se condere terris,
Irrita quàm sacri credam fore fœdera verbi.
O bonitas! ô prisca fides! quam vivis in ævum
Conditor, & verax, dum sol, dum conscia luna
Stabit, ad hæc testis læto celebraberis ore.
O Opifex terrarum! Aquilo tibi servit & Auster,
Quique rubet radiis Hermon tepefactus Eois.

Heic iterum resonare melos, mulcere sonoris
Cantibus, ætherias impellit gratia laudes,

C

Gra-

Gratia qua facilis luxit clementia Belgis.

Maurorum produntur opes, ditissima tellus
Suggestitur, Phœbusque caput dum vespere condit,
Sollicitas insomnis agebat tristior horas;
Ac, nisi belligeris monstraret dissita dextris
Regna, talentorum fulvis splendentia venis,
Anxius irrequieta trahebat somnia nocte.

Iuppiter his æquus, flagranti percitus ira
Officii partem esse sui mutare dolores
Censuit, ac Phœbum tantas deponere curas.

Protinus Occiduum Batavos impellit in Orbem,
Hesperiosque ostentat agros, & amoena vireta
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas.

Heic videas terram gratis afflatibus auræ,
Dum calet, & medio stat sol altissimus orbe,
Lætari, rapidosque poli sedare furores
Placantes Zephyros. cernas flavescere campos
Fructibus, advertas quater unum jugiter annum
Messe coronari, & ridentem munere Bacchum,
Cum spumant toties calcatis præla racemis.

Hic liquidæ decursus aquæ, lymphæque salubres
Per virides herbas sinuoso tramite currunt.
Hic longum vitale datur cum fœnore munus.
Ipse sibi medicina locus, reficitque cadentum
Collapsas vires, atque invida fata repellit.

Hic, dum fata dabant, celsæ sub tegmine palmæ
Molliter attentam recreans in gramine mentem,
Mirabar vastas cocos; pomaria malis
Auratis onerata suis; solvebat aristas
Iam gravidas à sole Ceres. Hic pascitur agnus
Luxurians campo viridi, balanisque sequutus
Ubera materni lactis; sic Thyrsis agebat,
Sic Corydon pascebat oves; hic Thestylis hædos,
Hic divina Pales admixtas floribus herbas
Porrigit armentis; vertendo septa videbam

Doctâ

Doctâ flexa manu ; dabat illic lustra ferarum
 Collis arenosus ; placuêre in valle reducta
 Murmure jucundo labentes suaviter amnes.
 Fallitur hîc nâsâ piscis. Nunc Najades agmen,
 Nunc ducunt Fauni. jacet hic cum Phyllide Pastor.
 Adspicis ut mediis volvatur Typhis in undis.

Ista voluptatum series cum sæpe recurrit,
 Sic facit attonitas in verba resolvere mentes.

His Helicon, his Cyrrha locis, hîc hortus Eous
 Floret, & Elysij, quos finxit Græcia, campi.

Delia Apollineas gaudete extollere lauros
 Littora, mutatam tuque hîc amplectere Daphnen
 Phoebe Pater, Bajas, nec miror Theffala Tempe,
 Fertilitate foli si pinguis riserit Hybla,
 Si Dryades, Dryadumque domus, præstare docebo
 Hæc Americanæ fictis viridaria terræ.

Hinc deflexit hyems canos hirsuta capillos;
 Deflexêre truces brumæ, & crudelia Belgis
 Astra, nec effundit glacialis Aquarius urnam.

Plena voluptatum Tempe, non Strymonis amne,
 Non Scythica tellure dolent, non saxa nivali
 Frigore rumpuntur, durisque Aquilonibus horrent.
 Non combustus Arabs, non hic ruit Afer anhelus,
 Lenior ex alto moderatur spiritus æstus.

O Tempe! ô Fauni requies! Corydonis amores!
 Delicium Nymphis! quàm vos florentibus ambit
 Herbis diva Pales, quàm lætis gramina pratis
 Sparguntur, quàm ridet ager, quàm pascua mitis
 Tondet ovis: Cœli vultus Moderator Olympi
 Quàm benè partitur clara cum luce tenebras.

Hic recubans dum manè diem Matuta quadrigis
 Advectat, Divûm cadit in præcordia virtus,
 Ac tenet attonitam cœli prudentia mentem;
 Nec lassata capit, quot se sapientia formis
 Pandat: cura Deûm præsto est; venerabile cuivis

Numen inest folio , Divûm occultata sub herbis
Majestas latet , hanc foëtis miramur in arvis.
Non feriunt hic membra febres, nec fata morantur
Invida , nec morbi ; medicæ solatia dextræ
Nescio quid poscat. Seros dat Iupiter annos,
Et paret natura Iovi , mare, fidera, tellus,
Fauſtaque laudatis adſpirant numina cæptis.

FINIS LIBRI PRIMI.

FRAN-



FRANCISCI PLANTE MAVRITIADOS

LIBER II.

ARGVMENTVM.



*Acta pecuniarum collectione Principem Batavi compellant.
Summus ille rerum Gubernator creatur. Classem solvunt.
Sortem deprecatur Hispanus. Minis, mox precibus ac pro-
missis omnia movet. Oritur ex voto eius gravis tempestas. Placat eam
pater Neptunus. Viam salutis Batavis commonstrat. Mox tellure po-
titi Cerere & Baccho restaurantur. Vicem suam socios dolentes Rector,
Rectorem Venus solatur, hostiaque ac letis ominibus confirmantur. Iter
fortes resumunt. Faustum illud propitio numine experiuntur.*



Udiit immensos Batavus resonare fa-
vores,
Undique conglomerant avidi, placet
omnibus una
Vox Iovis; ardescunt Mauri raptare
tiaras.

Haud mora, congestis socios in Martia cogunt
Prælia thesauris: regina pecunia tanto
Volvitur affluxu, veluti Neptunus in alto
Si cietingentes motus, ubi fluctibus unda
Iacta, per ætherios spumans vastissima tractus
Solvitur, atque nova virtute superbior exit.

Haud aliter lactatus opum dulcedine Belga,
Collectas ostentat opes, auroque corusco
Splendet, & indomito gazis vix cedit Ibero.

Ac veluti æternas fundant cum numina leges,

C 3 .

Sin-

Singula submittunt fato , momentaque rerum
 Ordine disponunt , tantos ne subruat ausus
 Immoderata manus ; Belgæ hæc exempla sequuti ,
 Dum nequeunt majora , viris virtute probatis
 Imperii dant frena sui , sicque ordine pandunt.

Spectata virtute viri , quibus augur Apollo
 Dexter adest , fatisque sacris sapientia Pallas
 Cordibus inspirat moderamina , sumite fortes
 Quod tergis imponit onus rex Iupiter , ingens
 Fama Columbino Batavis servatur in orbe.

Belli nervus opes , & terfi fulva metalli
 Copia , congestis splendescunt regna talentis ,
 Faustaue felicem promittunt omina fortem.

Libertas innata placet servire Quirites
 Si cupiant pressi ; tremat urbs æterna , Catonem
 Horreat , & Catulum , & Pisonem , & jugera Crassi
 Mundus , & Aufoniæ Arpinas decreta relinquat :
 Majores nos fata volunt. Cur sæva potestas
 Obruat audentes ? non Mars pater unicus illis ,
 Et nobis cupit esse Pater , qui sanguine ab ejus
 Fluximus , & veterum titulos miramur avorum.

Imperio grassetur Iber ? sub fascibus Orbem
 Stringat ? & obsequii maneat sine fine Batavos
 Cura anceps ? tales an nos natura noverca
 Progenuit ? tristemque volet sic vivere fortem ?

Tollite Cattigenæ ferro mandata Philippi ,
 Præscribatque suis fati audacia leges :
 Vos Patriæ pietas , vos libertatis avitæ
 Pellat amor , ditisque extollat gloria regni
 Languentes animos ; generosa in prælia causa
 Armamur , si fortè minor sit vestra parandi
 Classica majestas , nec dextra exercita ferro ,
 Sunt quibus impavidas dedit experientia mentes ,
 Quos juvat Hesperias umbris æquare tiaras.

Sic vindicta rogos , sic flammæ flamma piorum ,

Sic

Sic compensabit patres vindicta nepotum.

Principis Auriaci nota est super æthera fama,
Bellatrixque manus, cujus fors ipsa triumphos,
Et sortem natura stupet, quo quanta potentum
Mœnia devicit felix duce terra Batavum!

Pandite Mercurii mentem, dum læta per auras
Verba Patris portaret ovans, quateretque Philippi
Regna metu, lapsuque horrerent cuncta futuro.

Is debellandi patriis virtutibus Orbis
Rector erit, celsosque rei moderabitur ausus.
Cernitis immensas clades, queis victor ab hoste
Prostrato sacras jactat per tempora lauros.
Quam spoliis insignis erat! quam gloria rerum
Celsa refulgebat! claros victoris honores
Non Maro, non docto celebraverit ore disertus
Tullius, imparibus resonat victoria dictis.
Cætera cum fingant factis majora Poëtæ,
(Pace Poëtarum) sua sunt majora Poëtis.

Protinus Auriacum magna comitante caterva
Belgarum affantur Proceres, remque ordine pandunt.

Dux invicte, Patrem Patriæ quem fata probarunt,
Auxilii da signa tui. delapsus ab alto
Coelicolum Interpres totum conterruit Orbem,
Divorum decreta ferens; excindere Mauros
Iratos voluisse Deos. nec justa parandi
Causa latet: Superum celsos sibi finxit honores
Invisus tumor, atque elatæ gloria mentis;
Accensi mox ira Dei, turbare superbum
Desuper ex folio, & Stygium detrudere ad Orcum,
Per Superos, per si qua fides tellure sub ima,
Coelicolis vox una fuit: mandata metalli
Vis fulvi, coelique novos properare sub axes
Rostrata puppi, & peregrinum invisere solem.

Adspice quàm rapidis (cæca latitabat in arca)
Motibus affluxit vasti instar montis opum vis.

Arman-

Armantur classes, focii, instrumenta nocendi,
 Flammæ, enses, furia, truculentaque bella parantur.
 Vidimus infractum multis è millibus unum
 Te valida superasse manu, famamque per orbem
 Diffudisse procul, stupefacto in viribus hoste.
 Nunc tantæ succurre rei moderator, & arma
 Virtutemque tuam nostris virtutibus adde.

Sic contra Dux ore gravi. dum fata secundant,
 Vivite felices; dextræ mihi si qua potestas,
 Si justus furor, infandum contundet Iberum;
 Hic modus, illa via est. jam tempora nata triumphis,
 Corpore si nequeam præsens concurrere ferro,
 Vota aderunt, animique ruens in prælia virtus.

Interea undoso deductâ littore classe,
 Vela parant, placidumque ascendunt navibus æquor,
 Neptuno monstrante viam, quem fata sequuntur.

Inde Gubernator puppi Wilkeinus ab alta:
 Solvite vela viri, celsæ Deus æthere spirat,
 Et jubet accelerare vias. nos, sancte Deorum,
 Te sequimur, jussique tuis paremus habenis.

Dixerat, ardentique manu rapit impiger ens
 Fulmineum, strictoque secat retinacula ferro.
 Hic socios simul ardor agit, scinduntque ruuntque,
 Et portus liquere suos; internitur æquor
 Classibus atratum, ponto succrescere sylvas,
 Regnaque Neptuni dicas habitata carinis.

Iamque tenent pelagi campos, fluctusque sonantes
 Rostratæ frangunt puppes Aquilone secundo,
 Terra procul deserta latet; maria undique, coelum
 Undique; sic Phœbi Batavos tentare cubile
 Adspicis, ac tumidis classem procedere velis.

Vix dum quarta novo lustrarat lumine terras
 Tithoni conjux, radiisque retexerat orbem,
 Desuper è speculis advertit in æquore Maurus
 Auriaci vexilla ducis: jam pectora pulsans

Fri-

Frigida, jamque comas scindens, proh Iuppiter, inquit,
 Quæ rerum portenta paras? novus advena nostris
 Illudet regnis? quæ mentem infania versat?

Quid loquor, aut ubi sum? suntne hi pietatis honores?

Hæ meritis lauri? sic nostra in sceptrâ tonabis

Sæve parens? desiste novo excandescere cæpto.

Parce Iovis conjux, nec te facta impia tangant.

Me miserum! ante diem sic fato & morte peribo

Immerita? Stygioque caput damnabitur Orco?

O Diræ ultrices, Hecate, nigræque volucres,

Et quicquid Furiarum alibi confringite puppes.

Incute vim ventis Nereu; Rex Æole nigrum

Linque antrum, miseroque mihi succurre ruenti.

• Quàm querulum sors dura premit, fataleque telum
 Figit, & infanis quatiuntur regna procellis!

Quàm sævum fortuna furit! quàm nescit in uno

Stare loco! quàm succensi Iovis ira protërva est,

Nec fati stat meta sui! cur tempus in atrox

Vivo, nec infaustis caput obruit ante procellis?

Siccine magnanimi soboles generosa Philippi

Bella geram? sic clara sub umbras ibit imago?

Felix, ô nimium felix, si littora nunquam

Improbis hostili petiisset Belga carina!

Si Neptune ferox vasto super æthera fluctu,

Si Nereu ponti domitor, sique Æole ventis

Æquoream præstatis opem, rabidamque cietis

Infesto rabiem pelago, si è gurgite vasto

Una Euræusque Notusque ruant, non horreat uno

Impulsu concussus honos, nec gloria regni.

Quare agite immensum qui circumvolvitis æquor

Legibus æternis, dextras præbete faventes,

Et gemat ereptos, Batavus quos ambit, honores.

Ecce Philippææ regnum commune tiaræ,

Ecce Deûm ternas præstanti corpore Nymphas,

Has thalami æternis vobis assumite tædis.

D

Proti-

Protinus umbrifero properat pater Æolus antro
 Impiger, ac fusas trepidanti voce querelas
 Audit, sedato respondens corde Philippo:
 Nate Dea, quid mente paves? quid pectus anhelum
 Contremit? an rerum metas ac tempora nescis?
 Adversa in melius referam, mecumque fovebo
 Hispanos rerum dominos, gentemque Sagatam.
 Dixit, & extensa vix cuspide, turbine perflat
 Oceani spatia, ac cœlum volvuntur in altum
 Irarum fluctus, Notus, Africus, Eurus, & Auster,
 Tempestas sine more furit, reboantque fragore
 Sydera; fracta tremit tellus; ruit æthere ab alto
 Turbidus imber aqua, tristemque obnubilat Orbem.
 Eripuit Batavos procul è regione Philippi
 Æolus; heu quantis micuerunt ignibus æthræ,
 Quantaque nox ponto incubuit, densisque tenebris
 Horruit unda sali, constrictum frigore pectus
 Wilkeini, pulsatque gemens turbata dolore
 Pectora; jamque pias distendit in æthera palmas,
 Obniti si fortè velint pia numina contrà;
 (Horrendum) ante diem Batavos succumbere coram
 Deplorans, precibusque ardens avertere mortem
 Infaustam; insurgit stridens Aquilone procella
 Acrius, immanes volvens ad sydera fluctus.
 Cuncta fremunt, proræ franguntur, & ore dehiscit
 Infra undas tellus, ac tristia Tartara monstrat.
 Littoraque extincto latè foetentia squallent
 Corpore Belgarum, nox intempesta remugit,
 Nec precibus finit esse locum, fusasque repellit
 Confusus clamore fragor: ruit ille sub undas
 Desuper è puppi, assurgit, vitamque precatur,
 Sed vitam negat unda ferox, falsosque liquores
 Haurit, & immensos vomitantem è pectore fluctus
 Mors ridet, prædamque imis irata cavernis
 Abripit, in lapsu sortem gavisa beatam.

Heu

Heu mihi (quam visu miserabile!) pontus anhelos
Hos vorat, abforbetque illos in gurgite nantes.

Siccine pollicitus? suntne hæc tua præmia laudum?
Rector ait; sic te Genitor sententia vertit?
Sic Mauri Occasum promittis? & illa ruina est
Hesperii decreta ducis? Nos tangimur ipsi,
Spiculaque in nostris hærent immissa lacertis.
Quid Batavi meruere, quibus tot funera surgunt,
Ac tumidis plectuntur aquis? Battavia nunquam
(Gratia ni Belgis coelo affulisset ab alto)
Turgida Brasilicas solvisset vela per oras.

Heu Divum incorrupta fides! quam prisca labascit
Gloria! in humanis major constantia rebus.

Hoc equidem occasu celsum caput inferet astris
Cantaber, & raptos subito ridebit honores
Belgarum; confusa Deo, confusa recedunt
Pectora; sic fortuna viros tot casibus actos
Insequeris, nec finis erit pater alme laborum?
Nec te noster amor, nec te tua gloria tanget?

Audiit infestos, turbato pectore, questus
Rex pelagi, dum cæruleis recrearet in arvis
Expulso mœrore animos; jam murmure sensit
Misceri pontum; concurrere prælia vidit
Ventorum, raucisque atrum stridoribus æquor,
Et validis roboare sonis, imisque refundi
Stagna vadis, graviter commotus, regna profunda
Deferit, exerta è rapidis cervice procellis.
Æquora Belgarum vidit nigrescere clade,
Disjectasque rates tumidos impellere fluctus,
Vindictamque suæ tabulas urgere ruinæ.

Heu quantus clamore fragor sublatus in auras
Æthera concussit, quantusque ululatibus altum
Ploravit mare. Neptunus jam conscia volvens
Dicta Iovis, versansque animo promissa Batavis
Regna, Eurum Zephyrumq; vocat, gelidasq; procellas,

Irarumque œstro turgens hæc verba profatur.

Siccine vesani audetis configere venti?

Sic Batavas lacerare rates sine numine nostro?

Quæ vobis hæc tanta fides? quæ audacia tantum
Persuasit scelus? hoc regnum mihi cœlitus ultro
Contigit; hîc socios nunquam tulit alter honores.

Protinus horrifonos pelagi componere motus,
Et tumidum placare salum, nubesque nigrantes
Pellere, Neptuni cura est. jamque æquora curru
Pervolat, ac fessum verbis solatur amicis.

Wilkeini, infandis quem fors adversa periclis
Affixit pelago, fatisque repressit iniquis,
Intrepido procede gradu; loca pervia pandam.
Hîc mœstos recreate animos, reparate carinas,
Restaurate viros: facili procedere cursu
Fata dabunt, regnoque immanem pellere Maurum.
Divûm certa fides. validis insurgite remis:
Anglia vicina est, statio tutissima nostris
Navibus, & placidi pecoris ditissima tellus.

Sic ait, & dicto citius spumantia sedat
Æquora, collectasque rates ad littora cogit
Albionum. jam fessa udas mordebat arenas
Anchora; flagrabant almæ telluris amore
Semianimes, avidi vitalem pectoris auram
In prisca revocare vias, lethique timorem
Pellere, & ingentes tandem lenire dolores.

Vix primam appellunt terram, sub pondere gliscit
Corporis exanimi virtus, & funeris umbra est.

Iamque potens frugum Genitrix pernicibus alis
Advolat, ac tenues spicis redimita capillos
Frugiferis, cursu volucrem prævertitur Eurum.
Sic didicit nutrire Ceres, fessisque parare
Corporibus teneras inopino tempore messes.

Interea exercent alii nemora alta Dianæ
Venatu, ac denfos saltus indagine cingunt,

Mon-

Monticulis si fortè feris in retia pulsis
 Præsenti solentur ope , lethique cruentis
 Faucibus eripiant socios. stipabat euntes
 Phoebus , & infidias , quò laus foret ampla Sorori,
 Ponebat tauris. arcum , celeresque sagittas
 Corripit ipse manu , sternitque ingentia telis
 Corpora , jucundâ recreans dulcedine mentem.

Durum gestabant humeris onus , utque tenebant
 Littora defessi , mactatæ cuilibet ingens
 Pars cessit prædæ ; flammis apponitur illa ,
 Hæc querulis mollescit aquis. mox viribus ortis
 Semineces revocant animos. Berecynthia potum
 Porrigit , ac læti libantur munera Bacchi.

Hinc postquam sedata fames , sua grandibus ora
 Humeant guttis , laceras in littore puppes ,
 Heroasque dolent sinuoso gurgite raptos.
 Heu divûm ferrata manus ! quid fata rependis
 Invida ? quid fatis contraria fata resistunt ?
 Heu duram in Batavos sortem ! sic volvis ad Umbras
 Inviçtos virtute viros , queis Iuno dierum
 Voverat æternum spatium ? ruet inclyta proles
 Ipsa Iovis ? nec erit dispar fortuna bonorum ?

Tristitia flebilibus miscebant dicta querelis
 Pectore turbato focii. sicque ore diserto
 Ductor ait : quid corda gravi decocta dolore
 Ulterius laceratis ? erit , si exæstuet ira
 Sæva Dei , gravior vobis vindicta ferenda.
 Sic , focii , servamur , ait ; sic rebus in arctis
 Erigimur ; sic pressa undis nutantia cœlo
 Tolluntur capita , & celso dominamur Olympo.

Iamque Venus dubias versantem pectore curas
 Adspicit (hîc metus extenuat , spes erigit illic ,
 Nec certo mens tuta loco) sicque ora resolvit.

Wilkeini , promissa Iovis si fata recusas ,
 Nostris adde fidem ; nam me tua cura remordet

Sollicitam ; depone metum , per inhospita perges
 Arva sub occiduum Phœbo comitante cubile.
 Sic vendunt sua dona Dii ; fastigia rerum
 Summa per immensos concedunt fata labores.

Sic pergit turbata Venus , queruloque dolorum
 Murmure pressa filet. Quam sic sperare salutem
 Audeo ? Rector ait ; quibus hîc confidere rebus
 Afflictis ? quàm sæva meo fortuna labori !
 Siste gradum Cytherea , malis quassata priora
 Tempora , nunc dubiis avidè succurre periclis ;
 Vel quoque tu falsâ crudelis imagine ludes
 Delusos toties , nec erit Iovis ira proterva
 Dissuasura dolos ? mater da jungere dextram ,
 Et placeat suaves audire & reddere voces.

Continuò Venus invadit : quid frigidus horror
 Membra quatit , pavidumque tremit formidine pectus ?
 Splendida successu ridens fortuna secundo ,
 Omen in augurio posuit. Iovis ales aperto
 Cantantes niveos turbabat ab æthere cycnos ;
 Utque secant liquidum stridentibus aëra pennis ,
 Devictas cecinêre domos , turbataque Mauri
 Moenia , & Americam Batavas superasse phalanges.

Dixit , & extemplò supra caput adstitit ardens
 Flamma , Deûm auricomò referens splendore figuram ,
 Nec quicquam mortale sonans , hominemque negabat :
 Perge , inquit , promissa manet te gloria regni ;
 Quà via te ducit faustis da cabasa ventis ,
 Occidui vocat orbis honos , nec pascet inani
 Murmure Semideos ; Mauros graviora manebunt ,
 Inque cruentata victos calcabis arena.

Protinus ætherias rutilans volitabat in auras
 Flamma rogi , claroque Diis in lumine surgens
 Occursat , mediisque hæret fulgentibus astris.
 Hic lætum pæana Deo divina canebat
 Ore cohors ; blandis resonabat plausibus æther ,

Terra-

Terraque dulcisono repetebat gutture carmen.

Iuppiter infandos Batavûm miserate labores,
Accipemactatos humili quos pectore tauros
Offero, Rector ait; media inter numina Divûm
Sacra paro, supplexque Diis fumantibus aris
Munera sancta fero: lectas de more bidentes
Iupiter (aut si quos æternæ gratia mentis
Fulcit, & ad votum placido se accommodat ore)
Suscipe, ne pingues frustra spatiemur ad aras;
Non heic Tartarei, Stygium quos possidet antrum,
Foedantes vultus, non damnatissima ventris
Proluvies, aut ora fame pallentia tetra.
Sique (quod avertat divina potentia fati)
Harpyiæ horrifono lapsu de montibus adstent,
Ocyus Occidui experiar præludia belli.

Dixerat, atque aris libum cereale sacerdos
Imponit, vaccasque sacras, tenerasque bidentes.

Rem sibi suspectam Ocypete, nigræque volucres
Invadunt, tetrumque sonat vox inter odorem.

Siccine Cattigenæ superantur regna Philippi?
Non ita terrarum Dominos, aquilasque potentes
Subjicitis præda elati, nec bella parantur
Innocuis: si quæ est Erebo tenebrosa potestas,
Indomitufque furor, si quid valet unda paludis
Tartareæ, nos igne atrato impura sequemur
Pectora, Tu meritas referes gens improba pœnas.

Protinus horrendo stridet pia turba furore,
Arripuitque enses, clypeos, volucresque sagittas;
Et latus infelix telum convulsit acutum;
Certatimque ruunt magno stridore volucres.
Sicque neci vicina Celæno pectus anhelum
Solvit, & eximo vix spirans corde profatur.

Brafiliam vento petitis, flatuque secundo
Ibitis occiduas, Phœbo stipante, per oras;
Sed vindicta mali, nostræque injuria cædis,

Hoc

Hoc equidem scelus horrendum non linquet inultum.

Dicentem dicto citius furor impius aufert.

Iamque relinquebat gelidus pavor ossa ; columbæ
Deflectunt cœlo geminæ , rapidoque volatu
Coram adsunt , viridisque soli fundamina tangunt ;
Iamque iterum tolluntur humo , lapsæque per auras
Arbuteam tenerâ rapiunt ex arbore frondem,
Auratoque procul fulgebant lumine rami.

Heu faustum (ambiguus dum fors sub vultibus errat)
Augurium , rerumque vices ! sic omine læto
Chaoniæ venistis aves ? cursuque faventi
Littus ad Occiduum dabitis contingere Phœbum ?
Dux ait ; applaudunt auræ , radiisque coruscant
Alarum ; tum Rector ovans sic ore ferebat.

Incertum fortuna furit , fortisque procellis
Angimur insanis , placidum maris æquor arandum ;
Pergite , nos alia ex aliis in fata vocamur.

Protinus ardentes focii , Bacchusque , Ceresque ,
Lætitiæ dant signa novæ , mensisque paratas
Imponunt epulas , & dulcia vina ministrant.
Iamque cibus data prima quies , strepituque resultant
Atria ; sicque gravem pateram dum porrigit auro
Rector , id excelsa fertur dixisse Tonanti.

Iupiter optati spatium concede diei,
Lætitiæ tu Bacche dator , tu regia Iuno
Annue ; moxque avido potabat gutturis haustu
Spumantem pateram , focique exempla sequuntur.

Interea proris aptari vela jubebat
Navita , ne vento fieret mora tarda ferenti.
Necdum prima quies medio jam noctis abactæ,
Haud segnis strato surgit Wilkeinius , Austrós
Explorat , tacitoque notat labentia cœlo
Sydera ; cuncta videns stellis radiare coruscis ,
Excitat è somno focios , altoque sopore
Increpat immerfos ; quis vestros lapsus in artus

Lethæus

Lethæus sopor? aura vocat, pigra castra movete,
 Ac velis tentate viam; Matuta fugatis
 Syderibus venit, æratas conscendite puppes.

Protinus ætherias oculos defixit in auras,
 Numina deposcens, fuditque has pectore voces:
 Dî maris, æternique ignes, vos numina coeli
 Ferte Euro Zephyroque viam, propioreque fato
 Ad nostras spirate rates, crebrescite venti
 Ocyus; Occidui pateant penetralia mundi.

Iamque dato è puppi signo, retinacula classis
 Solvit, & undoso committit vela profundo.
 Subtractoque solo pelagum Neptuniaque arva
 Scindit, & optati redeunt ad carbasa venti.
 Ictibus alta tremit validis agitata carina,
 Insurguntque ad vota Euri, flabrisque repente
 Vela tument, rapidoque secant vada salsa volatu,
 Exitiique satur spondet fortuna salutem.

FINIS LIBRI SECUNDI.

E

FRAN-



FRANCISCI PLANTE MAVRITIADOS

LIBER III.

ARGVMENTVM.

Ppidum Salvatoris (Bahia vulgò) Batavi contingunt, ac
superandum illud certo augurio presentiscunt. Hispani
anxii dolent. Dux Mendoza fugà sibi, aliisque consulit.
Post ad arma sese parant, consultis primùm Faunis, & Sibyllis. Ira
Plutonis in inconsultum Philippum. Dux Batavus Deum invocat,
agmenque in pugnam incitat. Insurgit Mendoza fortius. Ei acrius
resistunt Batavi. Mendoza querela. Strages noctu illata, orto die in-
crudefcit. Belgas manet victoria. Dortii gaudia. Lacryma Philip-
pi. Batavorum triumphalis pompa publica.

Prospicit è placido Wilkeinus littore,
fortè
Ante oculos Bahía stetit, decorata su-
perbis
Moenibus, alta situ, & latis circumdata
vallis;
Sanctorum Portus. Socii quæ tecta Deorum
Cernimus? heu quantas excelsò in vertice sedes
Irradiat Phoebus honor; mortalibus illic
Quis regni (sic Rector ait) concessit habenas?
Iuppiter, hicque habitat Pallas Iovis inclyta proles,
Ætherique axis rutilans splendescit imago.
Sic flectent sua fata vices? alternaque regna
Cum Superis invadet homo, cedetque carinis
Hæc Batavis quæ prima Deum dulcissima sedes?

Advo-

Advolat alituum supra caput ocyus ingens
Turba fonans, dulcique ferit vaga sydera cantu,
Nixaque præcipiti terras monstrare volatu.

Continuò invadit Rector. mihi debita fatis
Salve terra potens, celsi. salвете penates,
Devictos transferte lares; quæ clara Philippi
Nomine, nunc Batavis succumbant regna triumphis.
Tempora cingebat ramis, geniumque locorum,
Fluminaque, & Nymphas sanctè veneratus agrestes,
Sic Divûm matrem, sicque invocat ipsa Tonantis
Numina, nunc cœli vultus, noctisque profundæ
Signa. Pater grandi omnipotens ter voce vocabat,
Excelsoque polo tremulo flammabat ab igne.

Spargitur hîc velox Hispana per agmina rumor,
Infaustos venisse dies, mutataque Mauri
Fata, nec Heroum æternas constare tiaras.
Scinditur in partes vulgus, gelidusque per artus
Sudor iit. trepidantem urbem Mendoza regebat,
Effusasque dabat tales è pectore voces.

Clara Deûm soboles, quæ vos injuria fortis
Littus in Occiduum per tanta pericula vexit?
Heu, sic sæva solent nunc tempestatibus actos,
Nunc errore viæ nautas impellere fata.
Vos capite hospitium, & veterum de more labores
Hic lenite, favor Superis hic fortè placebit.

Hæsit, at impavido sic infit Dortius ore:
Dux vigili virtute potens, cui cura regendi
Incubat, & magni sunt credita sceptrâ Philippi,
Non casus, non acris hyems hûc carbasa flexit;
Consilio hic omnes stamus, ferroque superbas
Mens vastare domos, nostrisque involvere fatis
Hactenus excelsæ nimium momenta tiaræ.
Ab Iove principium facti. Tu cede Batavis,
Ac regnum transcribe tuum, quin protinus armis
Bellaces incendam animos, motoque furore

Cuncta fremēt, cum fonte infontem exscindere gentem
 Iupiter, & si quæ cœlo magis alta potestas,
 Per caput hoc mecum jurat. Vestigia furtim
 Suspenso taciturna gradu Mendoza retorfit.
 Poplite fucciduo genua intremuere, comasque
 Erexit pavor. armorum Barbouda magister.
 Inclytus (atque alii quos fama obscura recondit)
 Pulverulentus equo properat, sonituque tremendo
 Pulsat humum, & quæ sit venientum causa requirit.
 Auditque, horrescitque. putrem ferit ungula campum
 Quadrupedis resonante sono, clangore tubarum
 Corda movens, arma arma vocat; ipem ponat in armis
 Astur; & Hesperio nascatur fama Philippo.

Interea horrendis resonat clamoribus æther;
 Umbroso in nemore irati vox dira leonis
 Vincla recusantis rugit, indomitæque sub umbris
 Tigrides occiduae rancant, ululantque nefando
 Ore lupi, calidisque inhiant de more medullis.

Dux indignato stupefactus murmure Faunos
 Consulit, atque ima lucos tellure repositos
 Tristis adit, veterisque petit responsa Sibyllæ.
 Dona sacerdotum, & cæsas sub nocte bidentes
 Obtulit. utque videt simulacra volantia formis
 Implicitis, stupet, hæcque imis vox editur antris:
 Belga meus victor quantum mox conteret agmen!

Hæsit in ancipiti dubius sermone loquentis,
 Neve ea quæ infelix potuit linquebat inausa
 Suspensus timor, & formas se vertit in omnes:
 Nunc Superos, nunc vocem movens Acherontia regna,
 Invocat infernas (proh crimina dira!) tenebras,
 Irasque infidiasque, & si quas possidet antrum
 Tartareum immani damnatas sede sorores.
 Vosque, ait, unanimes armate in prælia dextras;
 Spicula quæ vobis, quæque artes mille nocendi,
 Sulphureasque inferte faces, Stygiaque palude

Bel-

Belgarum infandos animi contundite fastus.

Confluit atra cohors, Pluto, nigræque Sorores,
Ocypete, & si quos Lethæi fluminis unda,
Sulphureumque antrum gremio complectitur atro,
Sic regnatores iterum nutare Philippos
Murmurat, avulsisque comis ferit unguibus ora,
Et lacerum tundit pectus, tremuloque ululatu
Tartaream intendit vocem; sylvæque profundæ
Intonuere: lacus Triviæ longè audiit: ipse
Stans circum damnatus Iber, discrimina Regi
Explicat; ingentem somnum (sopor altus inhæsit
Ignavæ menti) rupit pavor; ossaque, & artus
Perfudit gelidus multa formidine sudor.

Vix concepta fugæ timida solatia mente,
Turba Erebi stipabat ovans, Regique Philippo
Subdita, Tartareas solvens in limine portas
Festivum pœana canit. Stupefactus Averni
Rex ausus, rapidis motâ ruit ocyor aura
Passibus (heu ignara mali gens improba tanti!)
Obserat immanes ferrato cardine portas,
Succensusque imo pedibus conculcat hiatu
Damnatam turbam, torvoque hæc insonat ore:

Heu Superis stirpem invisam! heu contraria menti
Fata mee! Occiduis Batavos prosternere campis,
Non Syrtes, non Scylla mihi, non vasta Charybdis,
Non tellus, non fata Deum, non arma negassent
Turgida vastantis Belgæ; nunc verge sub Umbras
Impia fex Erebi; nunc Mauri exordia cladis
Monstrabo, ruptoque ingens Acheronte vorago
Pestiferas pandet fauces, rapietque Philippos
Pone secuturos. non hinc revocanda voluptas
Pristina; nunc querulis reboent ululatibus umbræ.
Sic ait, ac sævo diri spiracula Ditis
Ore vomit, frendetque animo feralis Erynnis,
Sulphureasque furens vibrat per Tartara flammæ,

Incenditque profundum odiis Acheronta malignis,
 Internâ stipata manu, rapidaque canum vi
 Irruit, haud aliter quàm si incumbente procella
 Obruitur puppis circum spumantibus undis.

Dortius interea Divos in vota vocabat,
 Accenditque mori promptos, servataque nostris
 Moenia prospiciens lauris; sic incitat agmen.

O Socii, quas ante oculos splendescere gazas
 Cernitis, augusti magna argumenta triumphi,
 Intrepidâ superate manu, commune periculum
 Vobiscum aggrediar. famæ hîc laudisque perennis
 Ansa datur, vestrisque aderit Rex Iupiter ausis.
 Si cui nunc virtus animo spem ponat in armis,
 In dextra fati modus est. sic fulgida transit
 Agmina, falcatumque rotat super æthera ferrum.
 Sic gladio, sic ore sonat. sic quisque repente
 Incaluit, pulchrumque mori succurrit in armis,
 Aut patriæ fines validis extendere factis.

Primus abit pugnans Ductor, qui vertice toto
 Emicat ante alios, triplici crinita Chimæram
 Sustinuit galea alta jubâ: quam faucibus ignes
 Ætherios flabat! quantumque hæc effera flammis
 Sæva furit, tantum crudeſcunt bella cruore.
 Certatimque viros funesti Martis amore
 Incitat. arvina hic pingui splendentia tergit
 Spicula. Pars ruit acris ovans, tremuloque tumultu
 Quadrupedantis equi volucris ferit arva caballo.
 Pars celeri pede pulsat humum, clangorque tubarum
 Hos rapit in densas acies. tepido arva rubebant
 Sanguine. stridebat durum sub pectore vulnus.
 Æra refulgebant cœlo, radiosque repellit
 Sole laceſſitos Phœbus, nec ſydera regni
 Alterius rutila patitur splendescere luce.
 Arma armis convulsa fremunt, stridetque fragore
 Horrendo ſeges. infandi jam buccina belli.

Signa

Signa dat, æratis infurgunt undique telis
 Impavidæ turmæ, ac campis monstratur apertis
 Pectoris indomiti virtus, fortuna periclis
 Hæret, & humanam queritur se vincere fortem.

Interea Mendoza novo firmatior ære
 Exercebat equum, cursuque in bella ruebat
 Acrius; haud aliter quàm si vastantibus Austris
 Incidat in segetem populatrix flamma; vel agros
 Flumine præcipiti torrens si sternat apricos.
 Sic nigrans peditum nimbus, fulgentiaque armis
 Agmina densantur lætas dispersa per herbas.
 Insequitur clypeata cohors, & cominus hastis
 Pugnatur. dubiis dudum victoria pennis
 Aëra vibrabat, quantoque animosior astris
 Æquabat caput, hoc Stygiis violentius undis
 Pars adversa ruit, scopulis illisa cruentis.
 Quas ubi ferventes accendi in prælia turmas
 Dortius adspexit, latèque nigrescere prata
 Vulneribus maculata virum; sic ore profatur.

Cernitis hìc coràm focii qua sorte vehamur.
 Ingruit armorum rabies, cæsiq; per agros
 Funduntur Belgæ; pavor hìc & mortis imago
 Asperior; virtute tamen quæ facta Deorum
 Fecimus ac monitu; nec sunt contraria fati
 Fata suis; audete viri, succurrite lapsis,
 Victores moriamur, & intrepidè arma petamus.
 Hoc uno querenda salus; hæc semita palmam
 Præbet, & excelso lucet victoria cœlo.

Exemplò accensus Batavis furor arma ministrat,
 Et fatis agitatus ovans, per tela, per enses,
 Belga volat, certa que involvit clade Philippum;
 Pugnantique aderat dextræ Deus. arva cruore
 Tristia plorabant. lateri letalis arundo
 Hærebat, medioque in fulmine stragis & ignis
 Terrorem ingeminat, cœcisque adscribitur Umbris

Stra-

Stratus Iber, bello fractus, fatisque repulsus,
Carmina funesto decantat seriùs ore.

Mox domino spoliatus equus pullata petebat
Tecta domus, stabulisque gemit. viduata marito
Mœsta dolet conjux, dulcesque ad pectora gnatos
Comprimit, ac coeli tædet convexa tueri.
Mortem orat, Divûmque ferit clamosa tribunal,
Horrescit nemus, ac latebræ intonuère profundæ.
Aspera (sic resonat Ductor) quæ fata timebam,
Me miserum ante diem feriunt, luctusque sequuntur
Hos illi; jam summa dies, jam sæva dehiscit
Infaustum clades, & ineluctabile fatum
Battaviæ. fuimus Troes. fuit illa Bahiæ
Gloria. ridebat vultu fortuna sereno
Prima, sed iratus nunc Iupiter omnia transfert:
Sic miseri meruère? Deus penetrantia flecte
Spicula, ne mediis insultet mœnibus hostis
Belga, suosque, sui qui non sunt, jactet honores.
Hesperia perduntur opes, clarusque Bahiæ
Obscuratur honos, Divûm inclementia cæcam
Intulit hanc sortem! sic totam à sedibus urbem
Avelles rationis inops fortuna novercans?
Neve tuos tandem poteris satiare furores
Dira? nec ultrices referent ea crimina poenas?
Dî, si quæ est Superis pietas, si præmia quondam
Pro meritis immissa, malum si jure repensum,
Accipite hæc, tantisque malis advertite mentem.

Hactenus in pace innocuum consumpsimus ævum,
Nulla fatigabat tranquillam injuria mentem;
Floruit alma Ceres, rerum altrix optima, lites
Atræ aberant, urbem ac populos in pace regebam;
Nunc Batavûm gens sæva meos turbabit honores?
Nec Pater hæc oculis, nec Iuno hæc adspicis, æquis?
Cerne Hecate nocturna, mei miseresce laboris,
Teque tuasque faces odiis mortalibus imple;

Interea

Interea nox atra redit, fessisque ministrans
 Corporibus somnum, viresque artusque rigabat.
 Dortius armatas acuens in prælia turmas
 Surgit in Hispanam magno conamine gentem.
 Quis stragem illius noctis, quis Marte subacta
 Corpora commemoret? diffuso sanguine tinctas
 Cernere erat latè terras, prostrataque ferro
 Agmina per campos volucres lacerare rapaces.
 Fundebant matres planctus, totusque Sacrorum
 Cardio cruentatam plorabat in ordine sortem;
 Cunctaque in exitium miserorum versa gemebant.

Postera jam cellos spargebat lumine montes
 Alma dies, cum solis equi se gurgite primùm
 Tollunt, & patulis spirant è naribus ignem;
 Agmina se monstrant vallis densata, tumore
 Ingenti, galeisque caput, radiisque micabat,
 Turpiaque in Superùm sedes maledicta vomebant.
 Hos inter Barrous erat, cui fata futurum
 Addiderant vitæ spatium, fugitivaque bello
 Turba prior; validis ruit undique & undique vallis,
 Horrendas minitando neces, Dirasque vovendo
 Victori Belgæ. Dortû ferit acriter aures
 Vox rapidis concussa Euris; accensa refurgit
 In Mauros virtus, referataque janua belli,
 Horrendasque neces sibi vox horrenda creabat.
 Moenibus excelsis illudens fervet Iberus
 Acer equis, ferrique aciem mucrone corusco
 Stringit, & ignitam jactat sub nubila lucem.
 Hic cæco se Marte parat, bipatientibus ille
 Custodem portis vigilem se porrigit urbis.

Dortius, ut propiore Deo victurus in agmen
 Irruit, ac primi renovat discrimina belli,
 Ocyus exanimi trepidat formidine totus
 Cantaber, armatique ruunt è moenibus hostes.
 Sicque iterum adspirat dubio fortuna labori,

F

Succes-

Successu rifura novo. Furibundus in atro
 Agmine se miscet, densisque incurritur armis.
 Concava volvuntur celso de culmine faxes,
 Obruiturque virum manus ingens, crudaque strages
 Nascitur. heu diræ miseranda piacula mentis!
 Murorum impavidi ascendunt fastigia, scalis
 Admotis. clypeata cohors, nec tela tela, nec enses,
 Nec metuens flammam, mediam ruit acer in urbem,
 Ingentemque aciem tumidi demisit Iberi
 Ad Stygias sine luce domos, noctisque profundæ
 Mœnia. Stridebat sævis ululatibus æther.
 Utque suo lateri Maurorum accommodat enses
 Victor ovans, spoliisque novis Battavica pubes
 Ditescit, terras hostili sanguine tingit.
 Ipse suo foditur gladio sine pectore Maurus,
 Cæcaque per feram flagrant certamina noctem.

Hic propius sua damna videt, serosque Nepotes
 Auriaci occiduo vindictam poscere mundo,
 Perfidiae documenta suæ. jacet illa Philippi
 Illa ipsis invisa Diis truculenta potestas,
 Claraque promissæ surgunt fastigia pugnae.

Adspice devictas aquilas. Hispanica Belgæ
 Mœnia victori cedunt, dominansque domatur
 Urbs celsis cognata polis. ruit usque Tyrannus,
 Et Batavum ignotis se tollit gloria terris.

Audiit elatos resonare per æthera cantus
 Dux Mendoza, comas scindens, lugubris & amens,
 Ense furit, stridentem in verba ferocia rupit.

Sic tandem Hispanis satiantur numina damnis?
 Fataque nos Batavo ponunt ludibria mundo?
 Nec fortis stat meta meæ, furiisque meorum
 In bustum crudele trahor? sicibo sub Umbras
 Insons ante diem? Pietas ignosce dolenti,
 Et querulos admitte sonos. crudelia mentem
 Fata necant, miseramque animam sub Tartara trudent.

Heu

Heu rerum neglectus honos , miserandaque fati
 Forma mei , non mortis erunt mihi tela cadenti,
 Sed mortis suspecta mora est : negleximus arma ,
 Belgarumque minas , totumque in viribus Orbem
 Risimus ancipiti nimium Mavorte superbi ,
 Victrices nunc victa manus munimina plorant.

Dortius interea spoliis insignis opimis
 Urbe triumphabat , lauris frondentia cinctus
 Tempora. Victorem in templum comitatur Apollo
 Primus. eum sequitur Mavors , Tritonia Pallas ,
 Bellona , & Superos inter quibus ampla triumphi
 Gloria , subiectique placet victoria regni.
 Ibat victor ovans curru. Prudentia dextrum ,
 Lævum Cura latus claudit. Formido catenis
 Fixa hæret. Livorque suos immanius artus
 Rodit , & infandum furiis confringit Iberum.

Progreditur , resonatque iterum clamoribus æther
 Incensus , placuitque fragor coelestibus aulis ,
 Sedatoque Iovi. Sic quondam clarus ab Indis
 Evan ; sic domito rediit Tirynthius orbe.
 Haud aliter Latium , tunc cum capitolia Paulus
 Scanderet , aut vinctum spectarent rostra Iugurtham,
 Occursabat ovans ducibus ; fulgore micabant
 Circum equites , gressuque gravi miratur honores
 Ipse suos quadrupes , animosque à pondere sumit ,
 • Hinnituque ferox iustas despumat in iras.

Stant circum Satyri , Fauni , Galatea coronas
 Nectit , & arguto sequitur modulamine Phyllis.

Iamque viâ incedunt media , lætosque per æthram
 Progressi attollunt plausus : clamore resultat
 Terra procul , tremuitq ; nemus , stagnumq ; profundum ,
 Ipsaque felici subscribunt fydere voto.
 Circum balat ovis saliens , ignara futuræ
 Sortis , odoratam mugit mactandus ad aram
 Taurus , adest tremulo supra caput alba volatu ,

Sacra Iovi , Veneri volucris dilecta , columba.

Iamque refulgentis tangebant limina templi ,
Devotam exornant animam , Iunonis adorant
Numen , & ingenti sternunt pia pectora nifu
Per terras, precibusque Deam, Dominumque potentem
Oblato exhilarant dono ; sic summa moventur
Numina , placaturque suo Rex Iupiter auro.

Interea flagrare dapes, congesta cremare
Thurea dona ; cadit rubram prostratus ad aram
Taurus, & intacti, veterum de more, juvenci.
Dortius ipse Dei reverens ferit ense medullas
Inculpati agni, taurosque & viscera flammis
Apponit, sequiturque exemplum cætera pubes.

Heu quàm sancta movent tantæ pietatis honores
Templa Deûm ! coelos aperit placata Tonantis
Iuno soror, suavisque animum fragrantia mulcet ;
Cœlo auræ, latèque superni thure penates
Incaluère ; ruit media regione repentè
Coelicolum divina cohors ; gaudetque trophæis
Battaviæ, tutasque suas hac sorte tiaras.

Latius interea resonant irata Tonantis
Vota , percussam infernæ sensere paludes ,
Ipse Philipporum primus vocem audiit ; horror
Dirus eum invasit, lacrymas effudit, & omnem
Implevit clamore locum : stupet inscia turba
Infandos casus , turbatque Acherontis hiatus ,
Horrendo sic ore sonans : quæ tristia bella ,
Quæ terris damnata iterum discrimina nostros
Invertunt versantque locos ? fuit ante quietis
Hæc sedes tranquilla. Pater quæ causa malorum ?
Quæ rerum insidiæ ? quæ turbas atra Sororum
Has ciet ? an monstri hæc facies æterna manebit ?
Odimus irarum indomitos fine fine labores ,
Signaque compositæ unanimes virtutis amamus.
Quæ scelerum furia , quæve implacata Charybdis

Hoc

Hoc barathri merfos cæco nos gurgite vastat?
 Quæve iterum rabies fractos lacerare Philippos
 Sustinet? Inferno si quæ tenebrosa potestas,
 Hac Pluto confringe tuam quicumque salutem
 Turbat, & alterno doleat concussa periclo,
 Gens vanis elata modis. Heu fata Philippus
 Inquit, opem cœlo nullam sperare paludis
 Hæc Stygiæ tormenta finunt, dum triste manebit
 Supplicium, votisque Deus non flectitur ullis?

Sacrorum jam finis erat, jamque ara cruento
 Sanguine placarat Superos; victoria pennis
 Parta triumphatrix Sanctam volitare per Urbem,
 Famaque non dubio cœlum convellere cantu.
 Gaudet ovans virtutis honos; famamque Deorum,
 Quà cœli expansum, quà se vastissima tellus
 Exerit, æternam resonanti buccinat ore.

Adspice devictam Argolicis quæ concidit armis
 Trojanam gentem. Divûm domus, inclyta bello
 Moenia, bis quinque vastantur fortiter annis;
 Nil tu Belga minor; superas virtutibus illos,
 Inque tuos usus fatorum commoda vertis;
 Nec te temporibus, verûm tibi tempora nata
 Credis, & ingenti constat fiducia facto.
 Una dies hîc annus erat, mensura dierum
 Annorum, si Troja decem prosternitur annis,
 Erubeat Bahia decem prostrata diebus:
 Infandumque genus discat perferre labores
 Illatos sine mente aliis, animique ferocis
 Vindicias procul Orbe Novo gustare nocentes.

Sic videt optatos Batavûm fortuna triumphos,
 Disjectasque manu celsas regione tiaras
 Hesperîâ, tumidumque caput super æthera terris
 Æquatum, dum victor ovans erepta Philippo
 Signa, triumphantum ritu, suspenderet Astris.
 Ecce Philipporum fulgentia regna patefcunt,

Ecce diem nascentem alibi. splendescit Olympus
 Occiduus, rutilatque auro, qua noctis amictu
 Obvelat vesper terras, ortumque diei
 Suggestit, ac secum lætissimus omen confert
 Phoebus, & è tenebris scintillat gloria lucis.
 Non equidem satis Hispanam depellere gentem
 Orbe Batavorum, libertatisque potiri
 Auspiciis, standum erectis cervicibus amplis
 Per mundum campis, quæ cœli flammeus axis
 Volvitur, ac rutili recidunt Hyperionis ignes.
 Hic quoque Belga caput Superis confise levabis
 Hicque tuus se tollet honos; non sufficit Orbis
 Unus, ab antiquo defer vestigia mundo,
 Quidque ferat novus Orbis habe. vindicta patefcat
 Extra anni solisque vias; ubi crimina poenas
 Effugisse ferunt, illic discrimina surgant,
 Et socio properent cursu dolus atque dolores.

Perfer Iberem malum quod dira mente creatum
 Marte cruentato Batavis inferre parabas
 Intortis rapidisque minis. Battavia quondam
 Horruit innocuo maculatas sanguine dextras,
 Ac sævas Albane neces, gladioque repressit
 Hesperiae furias; minus hîc metuendus Iberes;
 Necdum etenim concussus honos, furiata tyrannis,
 Infantes magnorum animæ, violentaque fata
 Principis immemores feros fecere nepotes.
 Te sequimur quocunque ruis. migrate tyranni
 Turpius. Albanas furias, dirumque catastæ
 Supplicium, decimas, & quicquid bella meretur,
 Plectendum est ultrice manu; tormenta malorum
 Sentiat impietas, faveantque his numina votis.

Hæc Divûm est infracta fides. hæc cum Iove Pallas
 Urget, & ignavos suffundit Iuno pudore
 Corde viros. Aurora jugum si ploret Iberi,
 Belga potens comitatur ovans, ubi vincla Moluccis

Laxat,

Laxat , & æterni parit argumenta triumph.
 Sique laceffit radiis solaribus Afer
 Perferat ardent in sæva pericula dextras ,
 Regnaque victori ac gazas transcribat Ibero,
 Eripit injusto ratibus victricibus hosti
 Subjectos sine jure lares , atque invida figit
 Carbasa , communem credens se vertere glebam.

Quid Persis , Arabique furens Asiæque subactæ
 Tergis dire nocet ? cur sic bellatur in undis
 Brasilicis , & nostra tument ibi carbasa ventis ,
 Objicimusque tuis nocitura furoribus arma.

Alme parens , qui fideream regis ætheris aulam ,
 Et fera per terras jacularis fulmina latè
 Terribilis , populumque insanum ad Tartara mittis ,
 Hispanum hunc exscinde ducem , confringe tyrannum ,
 Et ruat in Stygium Superum contemptor Avernum.
 Constat quippe fides Divum. inviolabile coeli
 Numen adoramus , rebusque levamen in arctis
 Sentimus , nutuque tuo requiescimus omnes.

Sic metam spes nostra capit , promissa patefcunt
 Regna , nec incerto vis passu fluctuat ultra.
 Divisos alibi soles , confundimus orbes
 Cardine distantes alios , famamque sub astra
 Mittimus , ac Superum placat victoria mentem.

FINIS LIBRI TERTII.

FRAN-

FRANCISCI PLANTE MAVRITIADOS

LIBER IV.

ARGUMENTVM.

HEinus Batavorum Ductor concilium vocat, deque ingentibus rebus deliberat. Cælo ei Minerva dat responsa. Portum Ricum invadendum & spoliandum esse monetur. Classis Batavorum solvit. Tempestatem Aeolo excitante Neptunus rider, & pronus adest Classiariorum rebus. Portus Ricus ut conspectus statim oppugnatur. Hostes in fugam acti. Hispanorum in Batavos dira imprecationes. Megera, Furiarum una, mirum in modum commota. Hispanorum insignis strages. Dei immortalis gratia publicis Batavorum supplicationibus agnoscitur.



Occiduos postquam tractus, tumidasque Philippi
Vindicibus visum Superis vastare cohortes,
Nunc Batavus Boream impatiens, nunc spectat in Austrum,
Nec voti stat meta sui; famamque sequutus
Nunc regnum, comes utilitas incedit honori.

Heinius, illustri virtutum nomine clarus,
Consilium regni summis de rebus habendum,
Officium prudentis ait, nec talia fatis
Incertas inferre rotas, labemque malignæ
Mentis, at humana in Superum decreta resolvi,
Fatorumque modum in nostra, si numina profint,
Esse manu. Placet illa viri sapientia turbæ,

Tota-

Totaque magnanimo pendet dicentis ab ore ;
 Instigatque animos cæcos , ac vincula laxat
 Auri sacra fames. postquam sedata cupido ,
 Impatientsque furor , tandem inter mœnia cogit
 Consilium , Divûmque æternum implorat amorem ,
 Ac faciles in vota Deos. Succurre Minerva ,
 Quæ tellus , quæ regna , inquit , superanda Batavis ?
 Tendendum in Boream ? vel dic si tutius , Austrum ?
 Aut quò ? si bello mens est invadere regna
 Austriaci , frontique novam petere inde coronam ?
 Ingemina voces , & dulcia verba reportem.
 Belga prius victor , nunc victor abibit ? *abibit.*

Diva Minerva fave , vocemque ignosce roganti ,
 Quæ loca , quæ laurus rapienda ? marina ? *marina.*

Hic nova Battavicus dudum suspensa triumphis
 Gloria , in Hesperias voluit descendere gemmas
 Iuno Iovis conjux , sed Mavors restitit ausis
 Fortè Deæ , voluitque piis servire Batavis
 Regia sceptriferi ditissima regna Philippi.
 Tu cæptis Bellona fave , Martemque secundis
 Auspiciis in bella move , dextræque potentis
 Sentiat infractos per secula fera lacertos.

Dixit , & ad Proceres populo læto ore vocato ,
 Causam aperit , faustique poli miracula pandit.

Consonat extemplò unanimi sententia sensu ,
 Nec dubios mens certa finit. Rapit Auster in altum
 Carbasa , turritasque rates ; nec lucidus æther
 Abnuït , obscuro dissolvens nubila cœlo.
 Littora deserimus læti , devictaque pridem
 Mœnia Bahiæ , spoliis inhiamus opimis ,
 Quò nos fata vocant alibi ; maria alta carina
 Sulcat , & imensos tollit super æthera fluctus.
 Iuppiter , & quorum in pelagus divina potestas
 Undosum , immanes rident super æthera motus ,
 Iratumque Deum ; medias tranquilla per undas

G

Transtra

Transstra ferunt, motasque immoto tramite puppes
Per mare per fluctus agitant; miratur habenas
Æolus, ac faustos infausto numine cursus.

Iamque refulgebat pulsas lux clara tenebris,
Et cœli favor æquoreâ regione micabat,
Protinus auxilio tumidis Neptunus in undis
Instat, & iratus pontum rutilante tridente
Verberat, èque cavo piceos fugat æthere nimbos.
Æquora tacta silent, Nereiue extensa favore
Vela tument, placidique ruunt in carbasa venti,
Cunctaque cernuntur signis constare serenis.

Sic Batavus procedit ovans, tentatque repostas
Ire vias, facilesque Deos, ac numina sentit.

Iamque resurgebat stellis Matuta fugatis,
Cum procul è puppi Portum cognomine Ditem
Auricomos splendore videt Neptunia pubes.
Dives ait Portus, salve, mihi debite fatis,
Et signis decorande meis. Clamore remugit
Terra procul, terram focii clamore salutant.
Iamque dato è puppi signo mox castra movemus,
Tentanturque viæ. latitat sub classe superba
Portus, & expansis malorum fluctuat alis.
Commeriti præsaga mali. nihil horruit auro
Belga inhians, Maurique excelsas despicit arces,
Et formidatas Hispani regis habenas.

Terruerant fama populos devicta Bahiæ
Mœnia, nunc si fata volunt, ac pronior æther,
Altera ridebit quondam victoria Belgis.
Accelerata cito glomerat vestigia gressu
Nautica gens; subit hæc Portum, ripisque propinquat
Ocyus; æra sonant, sonitu procul arva resulant,
Raucaque funestum depromit buccina signum.

Iamque Philippeis parat instrumenta nocendi
Imperiis, terretque novo trux machina vultu,
Sulphureas immane vomens ex ore favillas.

Progre-

Progreditur Dux ante alios animosus in hostem,
 Tela vibrans, calcatque cruentum Martia pubes
 Quod pedibus designat iter; pugnacia magnis
 Pectora tolluntur studiis, ardentia cladem
 Hesperiam, ferroque adversa exscindere regna:
 Haud aliter quàm torvus aper, qui monte relicto,
 Post sua terga, comis sparsis, ferit ore cruento
 Oblatam prædam, spumantque in sanguine dentes.

Has ubi Marranus vegetas in prælia vires
 Conspicit, heroumque animos in fata calentes,
 Horrendo terrore labat, vitæque salutem
 Præcipitante fugæ studio per inhospita quærit
 Arva, nec armatis audet prodire lacertis.

Sic Portus, sic terra patet, spoliumque Batavis
 Linquitur. Illa cohors nostris infesta carinis
 Flammæ, tela negat tanti jam nescia fastus,
 Fæminaque imbellis Batavis spolianda relinquit
 Moenia. Cantabricas postquam devenit ad aures
 Fama mali, pestes Erebi, infernasque Sorores
 Incitat Hispanus, ventosasque adjicit alas,
 Sic veniam facti Stygio à Plutone precatus.

Magne Iovis frater, Cereris gener, omnibus æqua
 Mente favens, quo fato hæc tantæ incendia cladis
 Proveniunt, ignara modum servare malorum?
 Siccine qui sceptro (qua Sol utrumque pererrat
 Oceanum) augustus toto dominabar in orbe,
 Qui tot per fluvios, tot regna, urbesque cucurri,
 Lusus ero? patrioque miser spoliabor honore?
 Siccine magnanimi proles invicta Philippi
 Bella gerat? num Gradivus plus deperit hostem?
 Disjice Belgarum fastus, fere semina lethi,
 Et proprio ruat ense ferox. Mandata Megæra
 Excipit: illa volans celeri super astra volatu
 Turbine concutitur cæco, nervoque sagittæ
 Fortius emissæ similis loca tangit opaca,

Insigni turbata modo , turmasque fugaces
 Conspicit in densis commotâ mente tenebris.
 Insequitur, rapidaque fuga ruit ocyor Euro ,
 Horrendumque furens parat immedicabile vulnus.
 Iamque cruentatos dudum vibraverat arcus
 Immanis; cruor è Stygio clamabat Averno ;
 Parce pias scelerare manus , scelerata Megæra,
 In quos dira geris tantis stridoribus arma?
 Quid violas pia iussa Dei? quis gentis Iberæ
 Has voluit clades , tantumque exscindere regnum?
 Non ita Dî Patrii, nervos intende, sagittas
 Conjice in adversos, qui post tua terga, Batavos.

Interea armatis properans ad mœnia turmis
 Heiniades, stratos qua se convertit Iberos
 Miratur, rubrasque undas, ac prata cruenta.

Heu quæ regalem virtus evertere gentem!
 Quo jurata Deûm conspirant flamina iussu!
 Singula deplorant Mauri, si pugnet Iberos
 Efferus, immensus pro nobis militat æther,
 Armataeque labant acies, revolutaque tela
 Autori nocuere suo. Neptunia proles
 Pectore funestis nondum satiata ruinis,
 Funditus invisam satagit prosternere gentem,
 Et cladem præfert spoliis; creditque receptos
 In fracto Hispani jugulo mercedis honores.
 Heu fusus tellure cruor, latèque per agros
 Turpia Cantabricæ dispersa cadavera gentis.
 Quis strages numerare tuas, adversaque Maure
 Fata queat, fusosque viros. In prælia fastu
 Hactenus atroci inflammas hominesque Deosque,
 Nunc jugulum vindicta petit; Rhamnusia poenas
 Exigit, atque ultrix Divûm tutatur honores.
 Sic Gradive parens, quem nos præfecimus armis
 Brasiliis, Ditemque tuosub nomine Portum
 Fregimus, ac laurum ætherio suspendimus axi,

Cum

Cum Iove divisos Batavûm partiris honores;
Sic Belga signante viam, quacunque reflectit
Sol radios, radiat tantæ victoria fortis.

Interea exuviis Maurorum indutus opimis
Heinius, infandum portu contundit Iberum.
Incendit fera flamma rates; raptatque cadentes
Pulvis in excelsam sub turbida nubila sedem:
Moxque revolvuntur subito per inania lapsu.
Hicque iterum infracti bello suspendimus orbi
Occiduo lauros, Batavaque invertimus arte
Inviâs virtute domos, ac diffita latè
Imperia Hispano audentes subducimus hosti.
Nunc metuas vesane Deos, cui turgida fastu
Corda tument, Superisque parem quem gloria jactat.
Define ferratis ultra confidere rostris;
Define inaccessos Divorum ambire penates,
Hic caput in coelis, illic vestigia ponto
Figere, & innocuas vastare tyrannide terras;
Vix Batavo pugnante cadis, regnoque superbo
Pulsus, ad obscurum infaustus damnaris Avernum.

Hic iterata Diis victrix fortuna probatur
Auspiciis prognata novis. Quid vane laceffis
Indigenam Oceani (cui sol, cui pontus & æther,
Et Deus ipse suo blanditur numine) gentem?

Haftenus in terris melior victoria fulsit,
Littora cefferunt Batavis Hispana triumphis.
Hæc erat una super divinæ gloria fortis
Neptuno propiore frui, classemque frementi
Murmure in extremos, ultra Garamantas & Indos,
Terrarum tractus facili propellere cursu.
Hic blandos tibi cerne Deos, iterataque voti
Præmia, Neptuni dum panditur area bello.
Surgite in ætherias sancto jam carmine laudes,
Immensamque Dei (si tantæ gratia lauri
Non finat immemores) virtutem extendite factis.

Heini , cui totum celeberrima fama per orbem
 Insonat , ac faustis servit fortuna triumphis,
 Siste gradum , Divisque sui tribuantur honores ,
 Dum tua se spoliis ditat Neptunia proles.
 Te duce felices iratum frangimus æquor ,
 Pergimus immoti , raptimque attingimus oras
 Occiduas , latèque novo dominamur in Orbe.

Maxime fatorum domitor , placidissima mentis
 Una quies , tu certa meis solatia fatis
 Sufficis , & rigidi damnas suffragia regis,
 Et Phlegethontas Hispani principis iras ,
 Tu populi tot regna tui moderaris , & inter
 Classica , bellorumque minas , tua nomina templis
 Clara sonant. colat impietas Hecatenque Iovemque ,
 Nos tibi magne Parens devotâ mente paramus
 Obsequiis ardentem aram , partique favoris
 Pandimus immeritas vocali carmine lauros.
 Tu solo dirimis nutu certamina Divûm ,
 Neptunumque domas tumidis dum sævit in undis,
 Et quatit immensas fluctu telluris arenas:
 Fers , ac iussa capit , magni parere paratus
 Imperio Patris : Oceano Nereia Mater
 Vocem audit , gestitque tuis se subdere sceptris.
 Irruat in densas acies Mavortius ignis ,
 Ad vocem positis Mavors desævitur habenis.
 Nil clypeus , nihil hasta nocet , nihil officit ensis ,
 Tensaque dilacerat proprios catapulta lacertos.
 Nil metuunt jam tela viri , nil nautica pubes ,
 Tardigradique senes ; medios Venus audet in hostes
 Irruere , èque feris illæsa recedere pugnis.

Ecce notant Divi impavidos in milite vultus ,
 Transactique juvant animos spectacula belli.
 Nusquam longa dies nostris illustrior armis
 Emicuit , ceciditve ingenti Hispania clade
 Turpius. Hunc signate diem , quos gloria gentis

Belga-

Belgarum movet, ac veteris vindicta ruinæ.
 Auriaco portæ, Dominisque potentibus arces,
 Cattigenisque patent, aurumque in vespere Phœbus
 Scrutari docet, ac gazas tellure repositas.

Define posteritas nostro conferre labori
 Herculeum; superata jacet longæva vetustas;
 Ac favor eximiis Belgæ est quod succubat ausis.
 Quis mihi Romuleam trepidâ Carthagine gentem
 Occinat? in Libycos mittat victricia portus
 Carbasa Pellæus juvenis; dominetur in altis
 Fluctibus, invictaque excindat mœnia dextra;
 Persa Hellen sternat; debellet Græcia Medum;
 Singula Battavicis sunt inferiora triumphis.
 Dic clades Thrasimene tuas, expendite Cannæ
 Ductoris Pæni rabiem, graviore labascit.
 Fato turpis Iber; metas sibi figere nescit
 Belga; vel ad summi scandit fastigia coeli,
 Vel ruit in cæcum ex alto prolapsus Avernum.
 Omnia solus amat victor, seu negligit omne,
 Egreditur famæ spatium, fulgentia tentans
 Sidera bellator, nec vasto clauditur orbe.
 Iam mare, jam fluvii, jam præbet terra trophæum,
 Et facies stupefacta poli est. nisi corde furorem
 Maure geris, rapidaque animam fodis ipse sagitta,
 Define victrici posthac contendere genti.

Audiit hoc quicquid Mavors, vocemque, nefandum
 Horruit, hæc secum turbata mente loquutus.

Quàm nihil invictum terris, quàm regna superba
 Devastata ruunt; poenam meruere Philippi
 Atroce, subitumque ex alto in Tartara lapsum.
 Ast (quod fata vetent) animum timor anxius urget
 Sollicitum, trepidatque hoc uno pectus anhelum,
 Sidera, divinasque arces, fore pervia ferro,
 Securumque nihil Belga pugnante futurum.
 Sic juvat ingenium, robur, fiducia, cæptum,

Sic

Sic faciles præbet nutus fortuna labori,
 Luxuriemque domat façi gens inclyta bello.
 Ornat Cura latus dextrum, Prudentia lævum
 Cingit, & attritos gestat post terga ligones
 Insomnis Labor, æratis Formido catenis
 Stringitur, ac proprios Livor crudelius artus
 Vellicat. heu miserum! quæ conjurata Tonantis
 Numina in Hesperiam tanto conamine gentem
 Infausto occursant animo! dat quisque Deorum
 Præmia, quisque suo præbet se numine blandum.
 Ingenii lumen Pallas, dat Mulciber enses,
 Et triplici sese ære parat: Bellona potentis
 Arma manus, belli rabiem roburque ministrat.
 Thesauros fert Iuno suos; pictamque pharetram
 Promit Apollo, Diana arcus intendit aduncos.
 Pan teneras occidit oves; fert pocula Bacchus,
 Gramina diva Pales sternit, camposque virentes.
 Sic vigiles Aurora dies, sicque Hesperus almæ
 Noctis fata vehit: prolongant tempora Parcæ,
 Et faciles sermone sonos Divûm efficit Hermes.
 Imbuit exacti Dea consultissima juris
 Astræa ætheriam mentem. dant singula fatum
 Fata suum, solisque favet victoria Belgis.
 Æstuat Hesperium quivis delere Philippum.
 Quàm vereor ne fortè ruinæ incerta futuræ
 Ignavos foveant animos pia numina coeli!
 Iuppiter, in Batavas intendas lumina lauros;
 Nec velut Hispani, noceat victoria Belgæ.
 Celsius in superas ruet imperterritus arces,
 Hos Pater, hos averte dolos, nec prospera currant
 Secula, Battavicis tandem fit meta triumphis.
 Sic ego qui faciles quondam in certamina dextras
 Contuli, & hostiles delusi providus artes,
 Totus & à Belgæ victoris sorte pependi,
 Profero votivos nunc in contraria sensus,

Tu

Tu modò qui vastum latè tibi subjicis orbem,
 Consultus responsa tui dimitte favoris
 Iuppiter, & casus aperi Regina futuros,
 Oreque fatidico venientia secula pande.

• Tuque adsis Divùm Interpres, qui numina Phœbi,
 Quique futurarum nosti præfagia rerum,
 Dic mihi si Batavam præstet prosternere gentem,
 Aut Regem placare suo jam vulnere lapsum?

Tum breviter commoto animo Rex Iupiter inquit:
 Solve metum Mavors, curamque expelle tenacem,
 Quæ rerum, aut regni novitas te talia cogit
 Moliri, & vanis animum lacerare querelis?
 Non obtusa adeò gestamus pectora Divi;
 Nos hæc cura manet, Batavùm quis nesciat ausus,
 Virtutesque, virosque? in nostros jurat honores
 Quilibet, & sua quæ fuerat victoria Divùm est.
 Forsan fera dies, nimixque potentia fortis
 Efferet audaces animos. Victoria major
 Pone triumphantem sequitur, rapienda Batavo
 Altera Colchis adest; prostant æraria Regis,
 Et spoliū rapienda dolent; sit fictus Iason,
 Sint Minyæ ficti; nihil hîc fingetur inausum,
 Nec velut Archivis illudet fabula Belgis.
 Hîc Gradive parens, si pectora plena tumore
 Belga gerat, nimioque affectet regna tumultu,
 Ac superas pulsare vias, divisæque tecum
 Arva, vel æquales tecum si speret honores,
 In dextra hac virtutis honos: nil faxit inultum
 Quicquid ad exemplar Regis violabit Iberi.

Sic Marti avulsi versam in contraria mentem,
 Sollicitumque citò nova res oblata timorem
 Leniit, ac læto subscribit numine voto.

Interea Batavus validis animosus in armis
 Bella sonat, laurosque audet superaddere lauris.
 Heu, quid in abrupto cursu victoris honore

H

Siste-

Sisteret! ulterius ruit infatiabilis ardor
 Belgarum, volitatque suis ad fydere pennis,
 Et juvat extremo finiri nomina mundo.

Hactenus arvorum domitor devicta subegit
 Mænia Bahiæ, dubiam mox ardua mentem
 Gloria pertentat, quò sint vestigia Belgis
 Successu figenda novo; num terra vel æquor
 Procreet Hesperias clades; ubi suggerat Orbis
 Præmia. labuntur noctesque diesque fugaci
 Sydere, nec certis constat fiducia fati,
 Cum sic Rector ait, qualis victoria Belgam
 Pone manet? terras, portum, nunc littus Iberum
 Fregimus; in regno est aliquid superare profundo,
 Et Nerei quassare domos, Neptuniaque arva;
 Victrices illic aquilas, dum numina profunt,
 An foret hæc tanti suspendere cura laboris?

Vix ea fatus erat, celso venit æthere clamor:
 Pergite victores, Colchis manet altera Belgas,
 Tanta procellosis spondet Neptunus in undis.

FINIS LIBRI QUARTI.

FRAN-

FRANCISCI PLANTE MAVRITIADOS

LIBER V.

ARGUMENTVM.

DAmnatis Hispanorum furiis Batavus aquor navigat, & auriferam classem offendit. Socios in pugnam & prædam instigat Heinus. Illi pretio victoria incensi alacres Ducem sequuntur, & ocyus naves occupant. Hispanorum gemitus & lachrymæ. Ductor patriam repetit, Sociosq; obstupescens alloquitur. Rex Hispanie præternavigantem classem admiratur. In terram Batavi exscendunt ac triumphant. Novam mox expeditionem in Americam parant. Iupiter se faventem eis cælo signisque datis, probat. Classis solvit. Socios Ductor compellat, ac felicia quaque ominatur. Olindam eminus prospectant & mox oppugnant. Dux Alburquerque fortiter se iis opponit. Via nihilominus Batavis ferro patefacta. Hispanorum immensus dolor. Batavorum triumphus.

HActenus Hispanum regno Portuque cadentem,
Nutantem Hesperiam, turbataque facta Philippi
Pandimus. Heic iterum inspira Bellona furorem,
Claraque victricem tollant miracula gentem.

Quo furie Hesperidum ruitis? quid sæva laceffis
Progenies impune viros? cur pronior æther
Annuis? in fuso tantum speranda voluptas
Sanguine? nec sævos depones Maure furores?

Cerne Deum dilectus amor, quid parvula mundi
Portio Belga queat, medios irrumpe per hostes

H 2

Dis-

Disjice damnatas animas, gentemque nefandam,
 Sævitum Marrane fatis, fractamque fātemur
 Belgarum sobolem, nec enim virtute, sed auro.
 Cessimus, ast diti glebæ. superavit Iberus,
 Sed pretio. metuebat iners Battavia mater
 Insignes splendore viros, fulvique metalli
 Flammantes radios, arsitque Europa favillis
 Austriacis, moestumque ruit sine sanguine pectus.
 Quàm mutas Fortuna vices! quàm victus anhelat,
 Qui modò victores fulvo ridebat in auro.

Accipe quem Batavæ tangit victoria gentis
 Incola terrarum, vel quos super æthera fixit
 Iupiter, ætherias si fas est linquite sedes,
 Hocque animis haurite melos; nunc carmine rursus
 Incitor, & mentem instillat mihi Musa disertam.
 Plus fatis in terris, ac Portu cæsus Iberus
 Ingemuit, nunc unda vocat, nunc æquora prædam
 Objectant; alias victori suggerit iras
 Arbiter armorum, monitis Bellona benignis
 Urget, & offensas agit in certamina mentes.
 Neptunus vocat, & dites in gurgite puppes
 Impatiens servat; quæ vos ignavia Belgæ,
 Proh pudor, invasit, queritur? quid cæca stupetis
 Pectora? præteritis equidem laus parva triumphis.
 Ite, manent majora freto. laus amplior illic,
 Illic thesaurus fulvo spectabilis auro
 Proditur, Æolias damnans sine flamine technas.
 Ut scopulis illisa ratis confringitur ictu
 Horrendo, majore metu pavet ærea puppis
 Hesperidum; quò fata trahunt meliora sequuti
 Pergite, & Hesperias, inquit, superate carinas.

Obticuit, vastumque cava trabe currimus æquor,
 Neptuno monstrante viam. sic parvula mundi
 Portio regna procul turbat; quo margine Phœbus,
 Hoc Batavi audaces cœlis æquamus honores.

Prospi-

Prospicit Heiniades dum ventis vela secundis
Acta tumore gravi insurgunt, finesque propinquant,
Cum procul ex alto venientem gurgite classem
Cernit ovans. en transtra iterum gestantia, dixit,
Phryxæum vellus; num Colchis ficta fuisset
Altera? numque ejus vivæ hæc virtutis imago?
Incendit res summa virum, dictisque calentes
Talibus in prædam instigat sociosque ducesque.

Hic belli laus una mei, rapuere Pelasgi
Auriferum vellus, rapient mox arte Batavi.
Audeat hoc mecum facinus quem gloria famæ
Tangit, & Hispani interitus; suprema vacillant
Robora, & infano jugulus refecatur Ibero.
Cantabrici patitur caput insuperabile regni,
Ac Regis diadema cadit. fiducia ceptum
Firmet, & intrepidus reddant victricia quondam
Arma viros. sequor ipse comes. communia vobis
Fata volo, monitisque meis signabo monentem.
Accelerate viam focii, superate carinas,
Quoque triumphabat Maurus, nunc Belga triumpho
Stet satur, ac domino discat servire Batavo.
Inter opes, hostesque sumus, gazasque, necesque:
Non nisi per duros ad celsa cacumina casus
Surgimus. Hic patriæ seu mors, seu vita probanda est.

Talia navales medio sermone loquentem
Abrumpunt, subitisque incendunt pectora flammis,
Nec patitur Bellona moras, spe concipit aurum
Quilibet, auriferas ardens superare carinas.

Iamque paveſcebat gelida formidine Maurus,
Ignarus fervare rates, pallensque metallum.
Protinus æratas invadit Belga carinas,
Nil mortem nil tela pavens: hostilibus arctat
Puppibus excelsas vastum super æthera puppes,
Et prædam sibi quisque rapit. nihil obstat inultus,
Seque suasque excors gazas transcribit Ibero.

Senferat imbelles Mauros Tritonia Pallas,
Horruit, ac subitam stupuit mirata ruinam.
Nereides sua regna petunt, pontique profundi
Turbatum regnum. metuunt num prælia Xerxes
Prima iteret, Trojæque vehant hæ fata carinæ,
Seu petat Æneam Iuno furibunda vagantem.

Interea Batavus spoliis insignis opimis
Exultat, victorque caput super æthera tollit,
Hesperiasque incidit opes: quàm palluit aurum
In venis! pavidus quàm palluit ultus in auro,
Solo auro metuendus Iber! non Regulus Afros
Terruerat magis in Poenam cùm surgeret urbem,
Fractaque pareret Libycis Trinacria iussis.

Sic nudum perfossa latus ditissima classis
Cingitur, ac forti subdit sua colla Batavo.

Heu Regis concussus honos! vidêre Matancæ
Ereptum regale decus, dum mentis egenus
Solveret in querulos mæstissima pectora planctus
Sollicito Dux ore sonans. quam cuncta revellit
Quæ steterant Fortuna procax. quàm nescit in uno
Stare loco. decus hoc magni sublime Philippi
Quo terras, quo regna olim sub numine flexit,
Amissum, jubet infandum renovare dolorem.
Debeor hic Batavis spolium, contemptaque turba
Captat inaccessam per vim fraudesque tiaram.
Quique suo metuendus erat speciosus in auro,
Fabula nunc tibi Belga venit, lususque jocusque.
Roboris invicti vires in puppibus olim,
Et Regis vasto metuenda potentia mundo,
Debellata jacet. quo nunc virtutis honores?
Quo fugitis gens nata Diis? graviore labascis
Sorte iterum, tantæque ignorans fata ruinæ
Nescis exorare Deos, nec flectere duos
Hesperia casus? iterumque adamantina plorent
Castra levi superata manu? Dî si qua precanti

Gra-

Gratia, si qua astris pietas, fors aspera fatum
 Molliat, ac mœsti fugiant à Rege dolores.
 Heu mihi quas animo tenebras, quæ damna fovebam
 Cæcior, Hesperii jam ploro pericula regni.
 Belgica credebam vili consistere turba,
 Regna vacillari incerto moderamine, fræna
 Quæ Phaethontis erant stolidæ commissa juventæ,
 Nunc miser ante diem pereo: rapuère potentes
 Insignem fulgore urbem, Portumque, ratesque
 Auriferas, trepidatque suo jam robore virtus.
 Has ego si poenas merui, sique imbuit aras
 Parcius atra manus, violent tua fulmina fontem,
 Præcipitentque solo, quàm me superesse Batavis
 Opprobrium tam vile velis; hos horret honores
 Regia mens, nec fessa potest admittere Belgas.

Heinius interea fulvo spectabilis auro
 Vela parat, Batavosque exoptat tangere portus,
 Iam fatur occiduo lauros suspendere mundo.

Iamque pererrabant tenebrosum puppibus æquor,
 Undifragumque fretum turrita classe gemebat,
 Heinius in media veluti stans Colchide victor,
 Regis inaccessas, inquit, spoliavimus oras.
 Quæ rerum portenta viri, quos cernitis ausus!
 India, quam pridem ignoto Vespucius orbe
 Detexit, regique adjecit regna Columbus,
 Servantur Battave tibi, statque altera coràm
 Colchis, in aurifera læti exultamus arena.

Vota secundabat felicibus Æolus Euris,
 Najadumque chorus: summum pia verba Tonantem
 Herois flectunt; poterunt & carmina cœli,
 Irarum si quid Superis, lenire furorem.
 Hic Nerei lasciva cohors, hîc Thetys in undis
 Exultat, plausuque strepunt pia numina ponti,
 Et regit excelsas virtus magnetica puppes.

Iamque pererrabant pontum bellacia rostra;

Veli-

Veliferasque arces Gallos interque Britannos
 Conspicit Hesperiae Rector; proh numina, dixit,
 Quò ruis alma salus, nostrique potentia regni?
 Non isthac rimanda via est, huc semita rectum
 Servat iter, Batavas video (nisi lumina fallunt)
 Hispanis mixtas ratibus, rursusque tuendo
 Vocem iterat, certisque stetit sententia signis.

Iamque dolore domos & foemineo ululatu
 Verberat arva procul, strepitumque horrenda dedere
 Antra, percussâ reboantia voce resultant.

Interea æquoreos findit gens Battava fluctus,
 Rostris tuta suis, subitoque Hispana relinquens
 Littora, in obscuro ex oculis submergitur antro,
 Luminibus subducta Ducis: jam Texala tangunt
 Arva rates, latuit tectum sub puppibus æquor,
 Iactaque de prora cadit anchora: protinus omnes
 Implentur clamore loci; victricia latè
 Signa volant, raucique tonant super æthera bombi,
 Lætitiæ documenta novæ: ruit ocyor Euro
 Fama per hostiles magnis ululatibus oras,
 Supremum venisse diem, quo regia tandem
 Scēptra cadant, Siculique ruat fortuna Tyranni,
 Regnaque Castellæ Batavis ferventur habenis.
 Hos læti celebrate dies, quibus alma Deorum
 Vulnere collapsas restaurant numina vires.
 Pergite, & Occidui penetralia solvite Phoebi,
 Pervia facta via est dudum invia, passibus æquis
 Agglomerat fortuna novo gavisâ periculo,
 Nec velut ante patent fuscis æraria Mauris.

Pandite virtutem qua sic crevistis Athenæ,
 Pandite Grajorum nervos, quibus alta per æthram
 Græcia præfractum caput extulit; ostia Romæ
 Cur invicta? Tyrus cur vertice proxima coelo?
 Cur victæ Carthago dabat mandata Saguntho?
 In ratibus vis summa fuit, ratibusque Tonantis

Robur

Robur inest: Græcis Batavos virtute minores
Hæc iterata negat tantæ victoria fortis.

Iamque triumphabat spoliis insignis opimis
Belga potens, rutiloque animum speciosus in auro
Mulcebat, Phœbi superans splendentis honores;
Cum novus in Batavis coelo delapsus ab alto
Fervor agit, rursusque alias invadere terras
Urget, & Occiduis Mauros excindere terris.

Est ubi fidereum coeli determinat axem
Linea, clara situ ac domibus decorata superbis;
Montis in excelsis stans vertice, Regia Olinda,
Dives opum, templisque auratis fulgida; coelum,
Sydera que eximio superans splendore, coruscum.
Impietas exosa Diis, infandaque rerum
Crimina, turpe nefas, & foeda piacula, nullos
Hic servare modos; turbant congesta malorum
Agmina pacatas Divum super æthera mentes.
Sic tandem ex alto in terram prolapsus Olympo
Iupiter, irato Hispanis excanduit ore.

Gens Erebi sopita malis, Acherontis opaci
Portio, sola meo quondam lactata favore,
Sic juvat (ô coelum!) sprete virtute sub atrum
Ire orcum? vesana, animi clementis amores
Sic violas ratione furens? reminiscere priscae
Sortis, & infandi obveniant tibi criminis ausus.
Haecenus è regno, portu, auratisque carinis
Pello cruentatos furiata in praelia mente
Accensus Mauros, strages vix sistitur illa,
Altera veloci capiti superimminet alâ,
Majori prognata malo; si poena paratur
Efferâ, præcellunt immania crimina poenas.
Dedidici tolerare scelus, mens lassâ malorum
Pondere, præteritos nescit perferre labores,
Mutandas volui sedes regalis Olindæ,
Transfero conversum imperium, laus prisca Batavis

I

Debe-

Debetur, Belgisque meis hæc gloria surgit.
Sic volo, sic victam regis plorabis Olindam.

Dixerat, affurgitque novo splendore sub æthram
Iupiter, & gelidos linquit post terga pavores.

Fama per astringeras (patuit sententia Divûm)
Cœlorum sedes teneris sese exerit alis,
Inque Batavorum tractus collapsa supernè
Divorum decreta canit, ruit undique præceps
Indomitum vulgus, properant populusque patresque,
Arrectisque bibunt vocem auribus, utque per omnes
Murmur iit, tanti renovare exordia belli
Ardor agit, nihil immensi movet æquoris unda,
Nil Ducis occidui virtus, trepidataque bello
Dextera. Relligio Belgam intemerata Tonantis
In pia iussa vocat; sequimur te summe Deorum
Arbiter, & vestris grati paremus habenis.

Protinus armatæ præsumt Mavortia classi
Pectora, pugnacesque viri, quibus incluta bello
Gloria felices concesserat ante triumphos.
Moxque ubi turmatim variis regionibus omnes
Agglomerant, coeptique novi detruferat ardor
Infractos in bella viros, demisit Olympo
Mille coloratam signis Saturnia Iuno
Curvatam in cœlis Irin, terramque reflexo
Lumine tingentem. Proceres tum forte sedebant
Unanimes, factisque parabant fræna futuris,
Sic trinos bisque octo viros Thaumantias ore
Sidereo affatur. quod rerum nulla potestas
Audeat, hos Regina astrorum versat honores,
Meque measque faces cœlo demisit ab alto;
Hesperia gens fracta stupet, Castella dolores
Ingeminat, luctuque Tagus, magnoque ululatu
Personat, & colles reditura voce resultant.
Hoc superest: Olinda suo parere magistro
Abnuat, & gestit victorem admittere Belgam:

Tam-

Iamque repentino properabat in æquora cursu
 Miles ad arma ruens ; sequitur Neptunia pubes
 Ingenti clamore, polus latèque resultat
 Terra, nec insolitos Batavûm complectitur ausus.
 Lonckius hæc sociis: Qua ducunt fata sequamur;
 Placemus maria, & Brasilica regna petamus.

Sic fatur, meritosque aris imponit honores.
 Protinus auxilio cœlum comitatur; honore
 Hic illum prævertit, amor quem Iuno fovebat,
 Iupiter effundit, Venus auget, Diva Minerva
 Ampliat, ac Patrem pretio transcendit amoris:
 Duxque ultrò socios compellat voce, marina
 Progenies, cui cymba domus Neptunus & æquor,
 Hunc lætè celebrate diem; tu gaudia profer
 Bacche, nec austeros obvertant numina vultus.

Dixit, & extemplò laticum delibat honorem,
 Spumantique mero cyathis se ingentibus explet.
 Post alii procures, procerumque exempla sequuta
 Nautica progenies, tantis felicia rebus
 Ore vovent, faustoque notant libamine laurum.
 Res iterata placet, sociosque in bella ruentes
 Armant, ut unanimes libarant pocula Bacchi,
 Quisque novos animos, viresque in prælia sumpsit.

Interea montes tenebris umbrantur opacis,
 Et sopor exhaustos dum sol cadit irrigat artus;
 Promicat è somno rapidis Neptunius alis
 Armiger, ac rapidis implentur linthea Coris;
 Vela tument, montes, campi, portusque recedunt,
 Et procul ex oculis fugimus spumantibus undis,
 Quà cursus, quà fata, gubernatorque vocabant.

Iam pelagus tenuère rates, vitreasque per undas
 Sedibus avulsos patriis Neptunus agebat,
 Æolus adspirat ventos, placata secundos
 Numina dant Austros: ruimus spirantibus Euris
 In loca belligeris mox servitura Batavis.

Iamque rubescebat tenebris tellure fugatis
 Auroræ nascentis honos, radiisque micabat
 Terra procul, visa ante oculos urbs regia, quisque
 Olindam vocat, Olindam clamore salutat,
 Et mentem instigat fulvi victoria regni.

Iam focii dum vela legunt, dumque anchora fundum
 Mordet, & æratas torquent ad littora proras;
 Ad bellum se quisque parat; rapit ille sagittas,
 Hic gladium, hic galeas, ferro se quisque tueri
 Ardet, & Hispanum morfu lacerare tyrannum.
 Utque videt rapida inflammata Lonckius irâ
 Æquoream gentem, paucis in bella calentes
 Affatur, veteresque in Maurum exasperat iras.

Sicque ait. hîc laudem focii, famamque perennem
 Cernitis, hic coràm fulvas spectatis arenas,
 Hic vindicta Patrum sumenda, altâque ruina
 Involvendus Iber, Batavis hæc Pergama dextris
 Exsuperanda, timor procul exulet, omnis in armis
 Gloria: si tellus quondam Milesia fortes
 Progenuit, virtute pares vos dico Batavos.

Sic animo, sic ore sonat, sic quemlibet ingens
 Ardor agit ducis imperio: calor omnibus unus
 Abripit incenditque objecta per agmina turmas;
 Interea clamorque virûm, clangorque tubarum
 Æthera celsa ferit, mediam properabat in urbem
 Ductor, & irarum volvit sub pectore fluctus.
 Hoc Barrus simul ore fremit, ferroque potentes
 Objectat, validisque urget virtutibus hostem,
 Sicque infit sublimis equo, defendite muros,
 Surgite in hostiles infracto robore turmas;
 Si fortuna neget, tentata potentia dextræ
 Infonem reddet. Superûm clementia fortes
 Efficit, atque meo jungentur fata labori.

Lonckius interea ac Socii tellure potiti
 Ense instant, clarique exardent subdere regni

Moenia,

Moenia, regalesque domos, ac turgida gazis
 Scrinia. Iamque nigro glomerari pulvere nubem
 Prospiciunt Mauri, tenebrasque insurgere passim
 Diffusis campis: cùm sic Pereira profatur:

Qualis ibi, ô focii, ante oculos caligo? quis auctor?
 Ferte citi flammæ, occurrite, tela parate,
 Hostis adest, ruite adversi, delete Batavos,
 Et ruat in proprium quem nobis strinxerat ensem.

Tum verò Batavis confurgit gloria major,
 Exardent iræ, totique in bella ruentes,
 Hic alium cursu prævertit, hic asper in hostem
 Sævit. In Hispano postquam jam merserat ensem
 Victor ovans, spumant atrato sanguine dentes,
 Et pronos in Maurum aditus ac prælia poscunt.
 Tum sic Rector ait. quis ferro hanc fundere gentem
 Audeat, & mecum Mavortia vertere castra?
 Non ego Vulcanum, non quæro mille phalanges,
 Nec veluti decimum defessos Hector in annum
 Distulit (annorum numerus, lux una fatigat)
 Nos Maurus tardabit atrox; involvite gentem
 Exitio, subitaque Hispani vivite clade.

Dixerat, ac densos fertur moriturus in hostes;
 Fit via vi, rumpitque ærata per agmina ferro;
 Visæque crudeli exhalantia corpora vitam
 Vulnere, Dî superi flagrantem mentibus addunt
 Ardorem, Deus ipsa sibi fit dira cupido,
 Et vita sibi quisque parat, quem sperat honorem.

Iam moriente die, nigro infuscatur amictu
 Vesper, & occiduus condebat lumina Phoebus
 Oceani sub aquis, cessat vis effera Martis;
 Iamque velut tremulis ad strata cadavera pennis
 Curritur; ille patrem, hic natum fratremque requirit
 Sanguine foedatos, alter stridore gemiscit,
 Incertus vitæ, num mortis præda futurus.
 Tandem sublatum Dazvedo insurgit in ensem,

Distinguitque rubram gemina inter tempora frontem.

Divisum caput ex humeris utrimque reductum
Sternitur, ingemuit tellus conspersa cerebro.

Quisque sibi notum tollit, galeasque coruscas,
Et spolia interitu clarorum facta virorum.

Cæde locus madet, & turgescunt sanguine rivi,
Irrubuit terræ facies; Berecynthia Mater
Mellita sic voce Patrem compellat amantem.

Iuppiter exaudi, quia non indebita posco:
Heu quantum adspirat Batavo fortuna, trucesque
Obvertit Mauro vultus! gemit undique tellus,
Et planctu latè coelos atque æquora complet;
Effusi tandem fili miserere cruoris,
Da cladi finem; hoc precibus sine posse parentem.

Dixerat, & subito contra sic filius orsus.
O Genitrix cur sollicitam te hæc cura remordet?
Hoc animo depone malum, maneatque repostus
Alta mente tumor, nostræque arrecta cupido
Regiæ, & ætherium superandi gloria regnum
Infandi ducis: hæc meritis data præmia sunt,
Tempus erit, cùm Belga suum super æthera nomen
Tollet, & Hispanum occiduo vastabit in orbe,
Elatumque sibi Divum deposcet honores,
Crudeles calido persolvat sanguine pœnas.

Nox erat, & cæcis tellus obducta tenebris
Horrebat, magnosque umbræ finire labores
Bellonæ impediunt, urget tamen efferus ardor,
Et bellum sub nocte parant: postquam ingruit horror
Armorum, mixtisque armis stridoribus æther
In densis fremuit tenebris, hastile lacertis
Lonckius incurvans, lunam procul invocat imo
Surgentem Oceano, ficque altâ voce profatur.

O Dea fiderei lux præstantissima cœli,
O decus, ô nemorum custos Latonia, si quæ
Gratia præteritos potuit fulcire labores,

Huic

Huic præsens succurre rei, rege tela per auras;
 Concute turbatos animos; sic fando sagittam
 Ejicit, & cœlo tenebras discussit opacas,
 Auratumque ferit pectus Temudonis, ibique
 Spiramenta ictus lethali vulnere solvit.
 Incurvatur, & in terram resupinus adactus,
 Frigidulis dudum singultibus ilia pulsans,
 Cum gemitu efflavit vitam indignatus in auras.

Stridet atrox vulnus: tepido madefacta cruore
 Terra gemit. summus stabuli Barredo magister
 Horrida in obscuris deplorans fata tenebris,
 Æratis fodiebat equi calcaribus armos;
 Is paulò obluctans frænis, è naribus ignem
 Spirat, & hinnitu campos implebat acuto.
 Iam terram gravitate quatit, stimulisque magistri
 Ardet, & armatas per turmas, perque phalanges
 Sternit iter, peditemque truci cervice superbum
 Foedatâ conculcat humo; ferit arva caballus.
 Pinguia, quadrupedante volans per inania cursu,
 Et campis quos sperat inest. perque æthera vibrans
 Illustres ferri radios, vomit ore tremendo
 Sulphureos bombarda globos, iterumque reflexo
 Tramite conversos furiis flagravit in hostes,
 Telaque funereamque intorsit fervidus hastam,
 Trajectoque hæsit Zousæ tepefacta cerebro:
 Purpuream vomit ille animam, stupefactus anhelat
 Armiger, ac veluti cum flos succifus aratro
 Languidus emoritur, sic illi vita recessit.

Ocyus agglomerant Batavi, noctisque sub umbra
 Succedunt Mauri castris, murisque propinquant
 Urbis, ut audaces animos in prælia spectant
 Hispani, sylvas dumis atque ilice nigras
 Invadunt, Batavûmque ardent regione viarum
 Dum fortuna favet, reliquam prostertere gentem.

Interea lux alma redit, croceumque cubile

Linqvit,

Liquit, & è vitreis Phoebus caput exerit undis,
 Dux urbi improvifus adest, ac moenia coràm
 Cernit, & intorquens jaculum, fic ore profatur:

O pugnae fortuna meae regalis Olinda!
 O decus, ô Batavae spes optatiffima fortis!
 Pone tuos fastus, nostrisque adfperfa triumphis
 Gloria veftra cadat; nos fata extrema fequuti
 Urbem regalem volumus, victoria præceps
 Pofcitur, aut nostros paffura propinquior enfes.
 Quis vita detrectet emi quam cernimus urbem?

Sic fatur, ftudiisq; animos audacibus implet,
 Accenditque mori promptos, feque ocyus infert
 Olindæ: clamore viri fremituque fequuntur
 Horrifono; cecinere tubæ, ftrepuere fragore
 Claſſica; Maurus iners, dictu mirabile, quantum
 Audaces in bella viros miratur, & horret
 Robora fortunæ plorantia fata prioris.

Subdit Olinda caput, recidit victoris iniqui
 Gloria, & avulſis Mavors deſæviit armis.
 Panditur urbs, portæque patent, clementia dextras
 Miſcet, & ingenui coràm finguntur amores.

Sic Batavus procedit ovans, iterumque cadentem
 Exhilarant Titana novo pia bella triumpho.
 Sicque gubernator poſtquam ſedata furoris
 Flamma per Hiſpanos fertur ſparſiſſe querelas:

Iuppiter, infeſtis cur fio præda Batavis?
 Vulnera cur lavit mater? cur preſſit ocellos?
 Cur non in gremio, dum vitam, funus alebat?
 Nunc, ſi qua eſt coelo pietas, abſume ruentem,
 Aut jugulum infauſti ſtriſto mucrone reſolvo.

Interea Olindam Batavus clamore ſalutat,
 Relligioque Deum votivas imbuit aras.

Heic iterum Heſperiam validis compeſcimus armis.
 Imus in adverſos ratibus victricibus hoſtes,
 Stratis enſe viis: ruimus per ſtagna, per undas,

Impa-

Impavidi, qua terra patet, patet ampla trophæis
Area, nec vasti Batavo stat terminus orbis.

Plaudite Battaviæ Proceres, lætumque ciete
Ore melos: si quid virtus, si carmina quicquam
Nostra valent, memori nunquam vos eximet ævo
Gloria, nec partæ recident fastigia famæ.

FINIS LIBRI QUINTI.

K

FRAN-



FRANCISCI PLANTE MAVRITIADOS

LIBER VI.

ARGUMENTVM.

Conversa nonnihil Batavorum leta fortuna, gemitus in cælum tolluntur, divinumque auxilium imploratur. Iupiter preces eorum ac vota ocys exaudit. Mercurius cælo missus legatus afflicto solatur. Ad rei novitatem Patres obstupescunt. Mox quid factum sit Mercurius Iovi renunciat. Deos tum fortè congregatos Iupiter Batavis conciliat, Palladique rem penitus expendenti fortissimum Heroa Mauritium Nassovium supremum terræ marique militia Imperatorem in Americano Orbe constituenti libenter subscribit.

Loruit immensum latè dispersa per orbem
 Laure bellatrix, clarus super ætheris axes
 Belga meat, celsumque caput, plaufusque celebres
 Tollit, & ingentis felix audaciâ cæpti
 Nescit in occasu belli finire labores.
 Perrumpit Phlegethonta furor, rursusque sub æthram
 Evolat, ac sedes audet tentare beatas.
 Non terrâ magis, ast famam jam terminat astris:
 Brachia contraxit Cancer, dispendia Titan
 Sentit, & ante diem occasu novus ingemit orbis.
 Oceanus pater, ac Thetys exuta gemiscunt,
 Detrectat fortuna afflatu diva secundo
 Mite offerre caput, primamque addicere sortem.

Pro-

Protinus in cœlum questus pius incola Belga
Fundit, & illacrymans precibus suprema fatigat
Numina, mutatas ardens invertere formas.

Sicque ait: ô Superûm Rector, cui regia cœli
Mansio, fidereamque illic regis ætheris arcem,
Vastaque suffulcis immenso robore terræ
Imperia, atque ægræ confers solatia menti,
Quis rerum perversus amor? quæ dira cupido?
Quod scelus has meruit poenas? per stagna, per undas
Te duce in ignotas avidi properavimus oras,
Vicimus, atque tuos victores fudimus hostes,
Solaque tantarum inscripta est tibi gloria rerum,
Causa peracta tua est nostro signata cruore,
Cur furis, atque datam Batavis rursus eripis urbem?
Cur finis auriferam absumi sine fœnore classem?
Cur Portus Rici spoliū evanescere? Olindæ
Mœnia convelli? num sic æterna manebit
Gloria? num Batavi incertis confidere Divis
Audebunt? si nomen, honos, si gloria cœlum
Tangit, anhelanti succurrat gratia Belgæ.

Talibus orantis stellata regis in aula
Vox resonat, soliumque movent Iovis anxia vota.
Porrigit extemplò pronas clamoribus aures
Iuppiter, afflictæque juvat querimonia gentis;
Advocat alatum Hermetem: sicque ore profatur.

Raptim age gnate, voca Zephyros, quate sydera pēnis,
Ac Batavos solare malorum pondere pressos;
Iam crebro afflictī terris jactantur & alto,
Explananda rei causa est & origo malorum.
Cur adeo elato tumuerunt pectore Belgæ?
Cur quæ sola Deūm est, vano super æthera nisu,
Gloria, in ætherias tentant perrumpere sedes,
Ignari servare modum, metamque triumphis?
Terreat Hispani facinus, dum poscit honores
Cæcior, atque ipsos Superûm nutare penates

Proruit in tetras sub Tartara nigra paludes ,
 Si meliora volunt, cauti pejora relinquant ,
 Aut ea quæ Mauros feriet fors aspera Belgas.

Luceat Icarium exemplum , lapsuque volucris
 Discant mortales sedes vitare beatas ,
 Nec superam invitis arcem conscendere Divis.

Adde Deum puram mentem , quæ crimina nescit
 Protracta perferre mora ; spoliūque Gehennæ
 Mox fiunt ; factoque suo condigna reportant
 Præmia , mortiferis Erebi plectenda cavernis.
 Id paria offensis doceant horrenda priorum
 Supplicia ; Hispani scelerata piacula gentis
 Innocuæ mæstas tinxerunt sanguine terras,
 Protinus horrendas Bahia & Olinda ruinas
 Plorarunt , gemitque aurati præda triumphi.
 Hæc vos fata manent. noxas damnate nefandas ,
 Condignum damnabo malum , latèque per orbem
 Occiduum Herculeo vincetis robore gentem
 Hesperiam ; sequar ipse comes , stratamque parabo
 Ense viam , nitarque hac dextra excindere regna.
 Insula concedet Thomæ, turesque Loandæ,
 Africa ab Occiduo tandem superabitur orbe.
 Hoc volo, si fatis cupiant melioribus uti
 Afflati propiore Deo , mediosque per hostes
 Illæsum transferre caput , prudentia palmam
 Obtineat, rutilasque faces Iove nata Minerva
 Ingeniosa ferat, veniatque vocatus Apollo
 Augurio felix ; tenues confusio vires
 Efficit, atque amplam secum trahit illa ruinam.
 Prudentes cupiunt animos prudentia fata.

Ecce Giganteum facinus , dum fidera veræ
 Affectat rationis iners, invertitur omnis
 Forma Deum, versaque gemit tellure figura.

Dixerat, ac folio sedit fulgore coruscus.
 Mercurius parere parat, jussuque gravatus

Pro-

Protracto Iovis, ex alto strepitantibus alis
 Irruit, utque volat secum mandata revolvit
 Longa Patris, pauloque hærens in culmine montis,
 Corpore sese iterum præceps demisit in undas.
 Utque procul turbari animos conspexit ab alto
 Æthere Divorum augurio Cyllenia proles,
 Impiger in mediam extemplò se conjicit urbem
 Amsteliam, radiatque illic splendore benigni
 Ominis; utque viros pro libertate parantes
 Res patriæ adspexit, fatis propioribus uti
 Mandat, & interitum lapsis avertere rebus,
 Sic orsus: regnum Batavi tentatis Iberi,
 Et regis diadema, viam calcatis iniquam,
 Longè alia insistenda via est: sic victa labascunt
 Oppida, sic victum vani consumitis aurum.
 Pellite ventosos elato pectore fastus,
 Linquite vesani fædæ contagia vitæ,
 Et micet in vestris prudens concordia factis,
 Ponè secutura est Superùm clementia, regni
 Gloria, & immoti constans victoria fati.

Sic ait, & tenues subito vanescit in auras.
 Obstupuère novam cœlesti è sede figuram
 Conscripti Patres, gelidoque horrore tremiscunt
 Attoniti imperio Divùm, medicamina quisque
 Suggestit, ac dubiis gestit succurrere rebus.

Interea Iovis Interpres super æthera pennis
 Surgit, & Hammonem media compellat in aula.
 Consilium tum fortè Dii de rebus agendis
 Miscebant; communis honor Batavùmque Deùmque
 Suasit, & Hispanæ stolidissima gloria turbæ.

Iupiter è folio surgens sic numina magnis
 Aggreditur dictis: Divi quorum æqua potestas
 Omnibus, armorum rabies truxque horror Iberi
 Ingruit, occiduisque furens dominatur in oris,
 Inflavit fortuna viros, tumefactaque mentis

Gloria Maurorum veteres oblita labores
 Acrius infurgit: cœlo capita ardua tollunt
 Ventosi, primique iterant vestigia fastus:

Iupiter hæc verbo, pergitque ore horridus atrox
 Mavors, bella fremens, duramque in vulnere sortem
 Progenerans, Batavisne iterum victricia, dixit,
 Omina moliris? quæ mentem infania versat.
 Iuppiter? asperius nequeunt mihi figere telum
 Numina, quam Batavis præscos iterare triumphos:
 Laus mea tota ruet, sedemque relinquere cœlo
 Cogar, & in Stygiis animum cruciare tenebris.
 Damnabit nostros Batavus prædator honores;
 Vilescet terræ facies, super ætherâ sedes
 Cum Iove divisas ambit. Tum diva Minerva
 Ore gravi. An temere ultrices infligere poenas
 Audebunt Divi? tetrus gens horrida noxis
 Damna luat, fastuque suo condigna reportet
 Præmia. Post effata Venus. Quid Belga meretur
 Infelix? rursumne animis cœlestibus iræ
 Invidia regnante latent? sic plura loquenti
 Iuno obstat, summâque aliis gravitate Deabus
 Dicendi abrumpit filum, ac præscindit honores;
 Grandiloquoque hæc ore sonat: Num bella Batavi
 Hæc sibi sponte movent, fativæ auctoribus acti?
 Cur cum delirat Mavors, prosternitur insons
 Belga? vel infontem pro fonte affligere gentem
 Gloria Martis erit? sic iusta potentia suadet?

Hæc ubi Neptunus media inter numina Divûm
 Percipit, has tulit effusas è pectore voces.

Divorum veneranda cohors, mihi gratia fandi
 Si datur, ac vestris proprios adspargere questus,
 Annuite, ac præbete aures velut antè benignas.

Sæpius in Batavos irarum percitus œstro
 Sævii, & indomitos animo indignante calores
 Effudi, rursumque effervens ira resedit.

Sæpius

Sæpius hanc sedem Oceani ditione relicta
 Rex volui, justasque Diis proferre querelas,
 Destiti, & optatæ fortis quæ nascitur ultro
 In lucro hanc mihi pono diem. Mihi sorte Deorum
 Imperium cessit pelagi, æquoreique tridentis,
 Heic ego dum placuit Superis moderabar habenas,
 Neptunoque mihi parebant æquora ponti.
 Oceani mihi numen erat, vastosque ciebam
 Dum volui in cœlum fluctus; tumida æquora rursus
 Placabam nutu; ast Batavus nunc ambit honores
 Divinâ mihi sorte datos, gemuitque carinis
 Pressum æquor, metuunt rapidi sibi numina ponti,
 Nec domibus stant tuta suis; vix Æolus ultra
 Possidet immotum sinuato gurgite regnum.
 Ingemuit Thetys, Nereique excelsa propago,
 Inferius mihi nulla quies, invertite sortem
 Numina, ne scindam diro lacerata furore
 Agmina, & infernis voveam damnata tenebris.

Talibus orantes alios, aliosque frementes
 Audiit Omnipotens, vultumque hinc inde retorquet
 Torvus, ab irato metuit sibi quisque Tonante;
 Utque levat dextram, nutuque silentia mandat,
 Regia tota filet, surguntque intenta Deorum
 Ora: pavet tellus, pelago cecidêre fragores.

Tum sic divina spargens oracula mente
 Rex Divûm effatur. variis discordia votis
 Crescit, & instabilem nescit sententia mentem
 Immota firmare via; cupit ille, recusat
 Alter, & horrendis premitur lux clara tenebris:
 Æternus vilescit honos, mortalia curæ
 Pectora sollicitent, Divûm superastra quietum
 Non turbant animum, aut curis mordacibus implent.

Accipite ergo avidi, mentique hæc figite dicta
 Quisquis ad exitii causas advertit Iberi,
 Et fidei momenta datæ violare piaculum

Infan-

Infandum horrescit; manet alta mente repositum
 Hispani scelus, immemorem nec fera refingent
 Secula, nec capiet Lethæi fluminis unda.
 Heu quæ corda gerunt tanto sufflata tumore!
 Quàm Superis invisa! Deos in prælia poscunt;
 Ac veluti Batavos, folio sic pellere Divos
 Mens vesana parat, quanto perfusa cruore
 Ingemuit tellus! quantisque ululatibus astra
 Perculit! ah quoties cœlo vindicta petita est
 Innocuæ gentis! quoties iterata movebant
 Crimina pro merito atroces infligere poenas!
 Incitat iratam tandem impatientia mentem,
 Occiduoque ruit præceps Dominator ab orbe,
 Et regni momenta labant; novus incola mundum
 Occupat, abstrusoque invadit fæta metallo
 Scrinia, & Hispano veteres abrumpit honores.
 Impulsu res facta Deum est, nec voverat ausus
 Quisquam animo tantum facinus, stimulantibus astris
 Aggredurus opus Divos in vota vocabat,
 Divinâ subnixus ope. Sola illa Batavos
 Gloria sollicitat; num sic vecordia Mauri
 Pectora? cur sævit Mavors? cur surgit in iras
 Terribilis? cur laxatis indulget habenis
 Fervori infano? cur sic præcordia flagrant
 Irarum flammis? dicam Mars, accipe causam,
 Vosque omnes quibus interitus, quibus aspera clades
 Et Mauri fors atra nocet, mea condite mente
 Dicta, nec indociles aures præbete loquenti.

Postquam Brasílicas Batavis adscribere terras
 Sic meritas visum Superis, ceciditque superbum
 Imperium, tibi cura fuit defendere Mavors
 Devictum regnum, victisque imponere leges,
 Ne sua fortè levant rediviva cadavera Mauri;
 Hæc ego (nam vivæ obveniunt oracula menti)
 Mars tibi, non alii fatorum arcana reclusi,

Cur

Cur proprio deferta malo mandata Tonantis
 Negligis? atque tuis hæc tanta pericula regnis
 Sponte infers? si iussa Iovis temerarius alter
 Sperneret, horrendum gemeret data præda Barathro;
 Id merito nunc parco tibi: cur moenia Sanctæ
 Urbis ab Hispano Batavis avulsa triumphis?
 Quid meruit Portus, quid fulvi præda metalli?
 Quid cognata polo sceleris commisit Olinda,
 Nunc imo prostrata solo? si prima federet
 (Per caput hoc sacrum juro) sententia menti,
 Restituenda forent, vel tanto parta cruore
 Præmia, vel regni caderet fortuna vigentis.
 Nunc, cum (pace Deûm) coram data copia fandi,
 Accipe quod iustum Mavors tibi pectore fundo.

Belgis parce meis, nec fors inimica querelis
 Immeritos frangat, caveat sibi quisque Deorum
 Plectere, quos labe non polluit ulla, scelusve,
 Aut injusta manus; si vis illata profundo,
 Causa tua est, tu divinos ignavus honores
 Foedasti, tu iussa Patris transgressus Olympi,
 Lapsaque promissi non constat gloria facti.
 Eia agite ætherii celsissima numina regni,
 Auxiliis opus ac rebus solamine in arctis.
 Quisquis opem, quæ fortè suo obversata cerebro
 Proferat, ac Divûm monstret se sanguine cretum,
 Cui melior sanæ stabit sententia menti,
 Surget honoratus, sedemque à Rege secundam
 Invadet. Magnus paulo filet ore represso
 Iupiter, attentos vertens in numina vultus,
 Utque tacet, toto prognata silentia coelo.

Iamque ardet proferre Deos, quam quisq; secat spem,
 Incassum, studioque labor vānescit inani.

Tandem nata Iovis, postquam exarsisset in iras
 Tarpeius pater, hæc Pallas docto insonat ore.

Summe Deûm, qui cuncta tuo sub numine flectis

L

Numina,

Numina, quique uno nutu, quod continet altum
 Coelum, æquor, tellus, certis moderaris habenis,
 Ac veluti in speculo intuitu quod nascitur uno
 Cernis, ab indigna placeat responsio prole.

Plurima divinæ surgunt oracula menti,
 Quæ potiora legam nec adhuc exacta voluntas,
 Fluctuo, & incertis hæret sententia fati;
 Hæc nisi displiceat Superis mihi gratior ulla est.

Belgica quæ Austriacis toties exulta favillis
 Fleverat armorum rabiem, extinctâque gemebat
 Libertate, truces tergis excussit habenas,
 Hispanumque jugum; quæ facti causa? quis auctor?
 Gloria Nassavidum, genus alto è sanguine Divûm
 Damnat inaccessas aliis in rege tiaras,
 Et regni vires, & regnatoris honores
 Flocci habuit, demptisque jugis speciosa refulsit
 Pristina libertas. horrent Nassavia Mauri
 Nomina; Nassavicis Mauri tumor occubat armis.
 Da veniam Genitor si primi exordia belli
 Latius evolvam, dictisque attendite Divi
 Si juvat afflictis Batavûm succurrere rebus.

Læserat unanimes Hispana superbia terras,
 Imperiumque potens toto firmaverat Orbe
 Sævus Iber, Phœbus primis quæ surgit ab undis,
 Ac Pyrois se mergit aquis, immissa dolebat
 Fræna tyrannorum; quoties Europa Philippi
 Albanique neces, lotasque in sanguine dextras
 Horruit; heu quoties furias damnavit Olympus,
 Barbaricumque nefas! quæ tum medicamina? cœlum
 Debuit ætherium cœlesti ab origine germen,
 Cui fasces, ensesque ausit committere Mavors,
 Æternum genus, atque alto de stemmate Divûm.
 Nassaviam designo domum, quam sæpe tyranni
 Immitem, placidamque hostes sensere subacti.
 Hæc quondam Aufonii sublime in culmen Adolphum
 Extu-

Extulit imperii; æternas flexisset habenas
 Orbis, & ætherios cœlo exequasset honores,
 Ni foret ante diem Nemetum prostratus in agris.

O rerum infandos ausus! ô gentis inique
 Effrænem rabiem! quàm gloria rara paratur
 Invidia regnante! Deos ad Tartara mittit
 Æternum nocitura Diis. Si fulmina belli,
 Ac Divum hac de stirpe genus, victriciaque arma,
 Semideosque viros memorem, defessa Camœnæ
 Lingua foret, labiisque arentibus unda negaret
 Castalios haustus; non Phocidis omne canenti
 Sufficeret mihi murmur aque; quis longa revolvat
 Tempora, Nassoviosque duces, quorum æthera lambunt
 Nomina, & eternis inscripta est gloria fastis?

Non modò libertas Latios Battava tyrannos
 Senferat, infandos etiam ploravit Iberos
 Gens duris supposita malis, scelerique resistens
 Guilielmus pater, arma rapit, suaque ora leonis
 Impavidè objectans, se libertate tuetur,
 Albanique truci convulsas ense tyranni
 Afferuit terras, libertatemque Batavis
 Reddidit, ac profugis nudatas civibus urbes.

Protinus affulsit miseris nova gloria Belgis,
 Et stetit iratis victor tranquillus in undis.

Ast quæ prima Diis exosa potentia Mauri,
 Nunc Batavis nocitura parat, fataleque telum,
 Hoc dum fata negant, ipsi meditantur Iberi,
 Magnanimumque Ducem diri vis enecat ensis,
 Et miser ante diem gelidis adscribitur umbris.

Hæc horrenda Deos ultores fata tulerunt,
 Invisumque scelus cœlo rex Iuppiter alto
 Ulturus, famâ Heroem super æthera clarum
 Mauritium vocat, èque rogis infontibus ultor
 Surgit, & æternos tangit vindicta nepotes.
 Hæc Patris in Gnato virtus, redivivaque magni

Nominis umbra pii quoties est ulta Parentis
 Impavidos manes? quoties conspersa cruore
 Hispano tellus? nec adhuc vetus ira resedit.
 Dum radiat Phœbus, cœli dum sidera lucent,
 Dum vehit amnis aquas, manet alta mente reposita
 Hæc rabies, cæsiq̃ue Herois funus acerbum.

O pretium justæ famæ, laudumque tribunal
 Effusus cruor; ô immensi gloria facti,
 Dum patrios vindicta tuos compensat honores;
 Tu bello genus extollis, celsaque refulgens
 Majestate caput rutila inter sydera condis.
 Belgica magnanimis impar fuit ausibus, alto
 Cardine cœlorum Batavûm clauduntur honores,
 Mauritio monstrante viam; satur ille triumphis
 Occubuit, placidaque æternam morte quietem
 Expetit, ac Fratri rerum commisit habenas.

Quam subito Frederice tuæ præludia surgunt
 In Mauros iræ, in cunis vagitibus illas
 Exprimis, & cæsi occurrit vindicta Parentis.
 Utque leo cui tigris adest furibunda, comesque
 Incedit proles, stans circum proxima matrem
 Ore rugit, cernitque malum, verum unguibus impar
 Præsentem nescit, mox hanc ultura ruinam;
 Haud aliter fremuere feroces vindicis iræ.
 Quid referam lauros; spoliis aurora superbit,
 Et nequit occiduos mundus numerare triumphos.

Hactenus Arctoris victrix Nassavia terris,
 Si juvat insanos alibi convellere fastus
 Iupiter, atque aquilas Hispanæ avellere genti,
 Illa Deûm fumenda domus, cui gloria mundi
 Servit, & ancipites Divûm tutatur honores,
 Hispano sternente viam; nec Palladis ira,
 Nec Iovis immemori claudunt deliria mente.

Hæc si tanta placet longis domus inclyta bellis,
 Ordinar, inque tuo gremio Pater alme recondam

Occul-

Occultos animi sensus. Tuque ampla Deorum
Regia testis eris, veniam date fata loquenti.

Annuit Omnipotens, totoque silentia cœlo
Nascuntur, dictisque herent confusa Minervæ
Numina, & Aonio cupiunt sermone potiri.
Hoc Mavors facit; insequitur Neptunus; & omnis
Regia progenies aures ad Palladis artes
Erigit, ambrosioque Deę dependet ab ore.

Tum sic effatur: Multo domus inclyta bello
Nassavidum, infando toties jam terror Ibero,
Magnanimos virtute viros, armisque potentes
Semideos servavit adhuc; si nomine gaudes
Iupiter æterno, famamque extendere factis,
Elige quem virtus, pietas, quem clara perennem
Gesta volunt, cui nec metas, nec tempora rerum
Sors fixit, cui nec limen, nec culmen honoris,
Sed tenet æternas famæ per secula laudes.
Ante oculos magno rerum expertissimus usu
Nassavia de stirpe aliquis fulgoris oberrat
Ætherii facie, nimioque obtundit amore
Flammantes animos; hærent suspensa Minervæ
Verba, nec ad solitas servit sententia leges.
Da veniam si quæ nequeam, Pater optime, ritè
Dicere; (nam summi hæc virtus est sola Tonantis)
Pro modulo tamen informi congesta loquela
Eloquar, & Superis forsân mens nostra placebit.

FINIS LIBRI SEXTI.

FRANCISCI PLANTE MAVRITIADOS

LIBER VII.

ARGUMENTUM.

Illustrissimi Herois Nassovii Parentes, Educationem, peractosque hactenus bellilabores Pallas recenset, in suam sententiam Neptuno ac Marte simul tractis. Comitem affantur Societatis Praefecti. Responsio eius. Innata ei Heroica & splendidissima virtutes. Vota vulgi pariter ac Procerum pro eius aeternitate. Iter parantem Frater Henricus Nassavius comitatur. Eorum mutui sermones. Constantia Ducis obortâ subito tempestate. Angliam petit, ibique iussu Regis honorificè habetur.



Rx antiqua, potens, multos dominata
per annos,
Nassaviæ à seclis stirpi locus inclytus,
ortum
Debit Heroi, quem mens, quem lingua disertis
Aggreditur celebrare modis: vos fata favete
Blanda Deûm, pulsetque lyram Pataræus Apollo:
Iactet Creta Iovem, Delos Latonia Phœbum,
Hunc jactat Dilberga Ducem, quem sanguine ab alto,
Cæsareoque fatum, virtus super æthera notum
Vexit; eum Genitor (mentem nisi fallat inertem
Sera dies) claro dixisti è sanguine Divûm,
Nec semel in cœlo sedes meruisse beatas.

Sanguinis auctorem rapuit sibi Suecia, summum
Militiæ generosa Ducem, quem vincere Mavors
Nescius imperium Regi, victriciaque arma
Belliger extendit, factisque ingentibus auxit.

Notuit

Notuit illustri Cimbrorum ab origine creta
 Dux Genitrix, domus illa Deūm si laude vehatur
 Laudatus vilescit honos, dum clarior astris
 Exit, & affuso magis obscuratur honore.
 Hinc Iano Margreta venit, quam fædere lecti
 Iungit, & è tenera suscepit virgine gnatum.

Iamque sinu pignus gestans, hæc verba loquuta
 Fertur (at amplexus atque oscula dulcia matrem
 Impediunt, linguamque retardat fervor amantis)
 Sicque infit: spes una tuorum gnate parentum,
 Nestoreos annos supera, Pyliamque senectam.
 Da Pater augurium, atque animis illabere nostris,
 Nomine dum sobolem signo, si fortè recurrat
 Grandius ingenium, subeant præsaga laborum
 Signa futurorum, placeantque hæc nomina Divis.
 Dudum animo hæc secum volvit, mentemque reflectit
 Huc illuc celerem, tandemque annectit Iano
 Mauritii augustum nomen. Iam Principis acta
 Mauritii occurrunt, tollitque ad sydera mentem
 Laureæ bellatrix, tumidoque erepta Philippo
 Regna, Batavorum dum gloria glisceret Orbis,
 Fractaque ab Hispano libertas prima vigeret,
 Mauritio monstrante viam; tuaque æmula virtus
 Gnate, ait, ætherios latè transcendat honores,
 Fataque felicitis promittant omina fortis.

Affurgit, leviterque ferit nova causa parentem
 Nominis, ast animo causam perplexa negabat:
 Mauritius Maurūm domitor num forte futurus
 Ibit in occiduum ratibus victricibus orbem,
 Mundum alium domiturus ovans? num bella reposito
 Gesta solo referant majorum præmia laudum?
 Num Mavortis honos alio victurus in orbe est?
 Gloria in exiguis rebus quam rara paratur!
 Tu, quod fata trahunt, felicibus utere fatis.

Obtineat, colloque suo dum brachia nectit

Filius,

Filius, amplexu matrem compressit amantem.
 Dulce onus ac thalami geritur fors prima jugalis,
 Nassaviæ, Holsatiæque Ducum. Iam pignora gestat
 Dux Genitrix, pendetque humeris nova Patris imago,
 Cum sic mater ait: fili, tibi gloria major
 Surget, & Austriacis latè dominabere terris;
 Regna tuæ cedent dextræ, laceranda Philippi
 Gloria, & alternos virtus versabit honores.
 Respicit ardentes oculos intenta, micantque
 Fulgore ingenti; belli præsaga laborum,
 Militis hæc, inquit, facies, genitusque videtur
 Bellator, sic prima docent exordia finem.

Iam tener, & sine voce puer, vagitibus iram
 In Mauros prodit, justosque in bella calores.

Iamque Comes crescens surgit gravioribus ausis,
 Sæpèque tum galeæ, clypeique crepundia, victas
 Ostentant Mavortis opes, felicia rerum
 Orsa, cruentatæ designant præmia pugnae.
 Nascitur intrepidus miles, rerumque creatrix
 Sedula, naturæ præsagum inscripserat omen.

Prima juventutis flammavit fervidus ardor,
 Et mediis audax Heros adolevit in armis,
 Contemptum jacuit belli genus ante probatum,
 Ludicra spernuntur bellorum exorsa priorum,
 Et vestis bullata placet, cum Pallade Mavors.
 Herbornæ schola testis erit, doctumque Lyceum,
 Artis honos, tanti celebres Herois Athenæ.
 Annos jamque decem Musarum castra sequuta
 Mens celso cognata polo, fulgentibus Hagam
 Sideribus, Divumque domum, sedemque Parentum,
 Mauritiique ardet fidam contingere dextram,
 Et penitus momenta novi cognoscere regni.
 Quas ubi bellandi studio properasset ad oras,
 Auriacoque duci æternam daret ore salutem,
 Nassovio Auriacus celso referebat honores,

Et sta-

Et stabilem fortunæ auram ; dumque omnia volvit
Ancipiti fors cæca rotâ , propiora vovebat
Numina , & immoti constantia sydera fati.

Protinus accensum rapiunt Mavortis honores ,
Iam fremitus spumantis equi , jam prælia campis ,
Iamque armat balista manum , jam vertice fulgor
Irradiat galeæ , jam Thracum iussa sequutus
Fulgentem stringit gladium , mediosque per hostes
Irruere acer amat , summa hæc & sola voluptas
Pugnaces inter ferro prorumpere turmas ,
Et fortem conferre manum ; primâque juvenia
Acer & indomitus mediis se ostentat in armis ,
Prælagus clarorum operum , famæque futuræ.
Græcia cur tantum felix ? præconia laudum
Nata alibi medio Batavorum cernimus orbe.

Res dudum tentata domi , satiare calores
Innatos nequit , actumidos contundere Mauros.
Plus bellum , plus pugna valet , fortuna , laborque ,
Et ratio & virtus , & cordis Martius ardor
Incendit flagrantem animam , celebresque triumphos
Auget , & invisam , sic fas , prosternere gentem.

Fortia jam solidum spirabant pectora Martem ,
Seriaque armabant pugnacem classica dextram ,
Auriaco comes ire parat , bellicque labores ,
Et lauros vult esse suas. Bellona recentem
Accendit furibunda Ducem ; jam fulgida lustrat
Agmina , nunc junctis concurrit cominus armis :
Iam via fit ferro ; squallet foedata cruentis
Terra cadaveribus , laxas glomerare phalanges ,
Cernere nunc junctas gestit , nunc stare rotundas ,
Lunatâ nunc ire manu , sua gloria tantum
Spes omnis votumque fuit. Quàm sæpè paratæ
Sordebant epulæ , placidumque avulsi Enyo
Pacem animi somnum ; clypeo quàm sæpè cubantem
Conspexit , duroque trahentem sydere noctem.

M

Sæpius

Sæpius hîc stimulos , fomentaque maxima laudum
 Mauritius dabat , armigerûm cum gesta Parentum ;
 Et priscos memoraret avos , quos alta colebat
 Roma Deos , Europa Duces , quos Cantaber hostes
 Horret , & ad nomen trepidat formidine pectus.

Dicite Guilielmi manes , quam vita Philippo ,
 Quam tua libertas , lauri , virtusque nocerent
 Hispano ; scelus infandum ! furibundus in arma
 Surgit , & exsatiat sceleratum sanguine ferrum :
 Nos , ait , ultores facti justissima Divûm
 Lex voluit , rabiem Genitor non sivit inultam ,
 Nec dextra hæc dum robur inest , virtusque , vigorque.

Accendit vox summa ducem , & florentibus annis
 Inspirat Mavors flammæ : quò bella vocabant ,
 Quò generis memor ira , viget spes certa triumphî ,
 Et stetit in dubiis constans victoria fati.

Hoc doluit tot bella suæ præscindere forti ,
 Tot puppes , captasque urbes involvere lauris ,
 Nec sibi divisam Superos impendere Daphnen ,
 Dum toties pedes , ac toties eques urfit Iberum
 Indomitus , nec sæva ferocem in prælia dextra ,
 Aut epulæ , aut somni Heroem remorantur ovantem.

Fare age Belga memor , quoties manifesta trophæi
 Hic fuerit dux causa tui , quem fama perennem
 Tollit , & innumeros laudat Bellona labores.
 Quid memorem egregios ausus , quid prælia dicam
 Gesta ? quid eventus rerum , dubiamque salutem ?
 Urbs Cliviæ , Berga ad Zomam , Steinberga triumphos ,
 Et memorant Grollæ Herois fortissima rerum
 Pondera , dum stridens illi sub pectore vulnus
 Hæsit , & effuso decorata est sanguine tellus ,
 Ipseque pro patria parto gaudebat honore.

Novit fama memor , quoties Antverpia technas
 Ploravit , quoties pavitans Brabantia castra
 Horruerit. Stat sylva-Ducis , Venloaque testis

Æternus,

Æternus, Roremunda suo tepefacta cruore.

Tu mihi Trajectum dura obsidione subacta
Dic mihi magnanimos ausus, validique triumphos
Mauritii, ruit horrendis Papenheimius armis
Impavidus, pugnantque virum bis millia septem,
Spumantique bibunt crudeles ore cruorem,
Haud aliter quam tigris atrox, cui tempora circum
Luxuriant, rutilantque comæ, moxque ora cruento
Infigit pecori, rictumque in sanguine mergit,
Cum sic Ductor ait: quam mox insania poenas
Inconsulta dabis. clades tumulosque tuorum
Turba brevi lugebis atrox. Hispania gentis
Nassaviæ quid possit honos, metuendaque ferro
Dextera, ferali plorabis carmine quondam.

Mox belli tormenta tonant, coelumque boatu
Insonat, infernas audis reboare paludes.
Principium pugnae, Phoebus dum surgit ab ortu,
Adspicit, utque iterum extremas properaret ad undas,
Arma armis collisa fremunt, Mars ingruit asper,
Insanusque truci promittit præmia dextræ.
Iam veteres pugnantem acuunt in bella calores,
Ipseque sanguinæ fecit primordia pugnae.

Sicque ait, audaces animi, quorum omnis in armis
Gloria, spes, virtutisque latet: jam nata trophæis
Tempora; libertatis honos affligitur; hostes
Acrius insurgunt, sævique exscindere Belgas
Ense parant; jam corda viri, jam fumite cuncti
Invictos animos; morti sua gloria major,
Quam turpi dare colla iugo; vincique negatum
Audenti; quisquis veniam desperat, honores
Iam vincentis habet. Doceant præmissa futuri,
Dentque exempla fidem; nescit non vincere quisquis
Desperat victus veniam: contemnite fastum
Hostis, & insanos subito ridebitis ausus.
Nec patitur Bellona moram, si numina profint,

M 2

Hac

Hæc fati modus in dextra est; vix illa loquutus,
 Arma fremunt, ferrumque sonat, nec saxa retardant,
 Nec fluvii, ruit impavido furor efferus ausu;
 Haud aliter, quàm si æquoreis Neptunus in antris
 Laxaret rapidos flatus, quaterentque profundum
 Æolii fratres tenebroso è carcere missi.

Hi tempestates fluctusque ad sydera tollunt,
 Obviaque ingenti laceratur robore virtus.

Emicat Heroum cœlestis gloria; victrix

Bellatrixque manus, superat, quos tentat, honores.

Quid referam pugnae faciem, fossasque cruore
 Oppletas, cæcoque cadavera gurgite? vallum
 Stragibus invisum? quid conjurata Deorum
 Flamina? si dextra tantum Papenheimus & armis,
 Nos fatis pugnamus, & invida tela per hostem
 Conjicimus: quis in Hispanos revoluta tyrannos.

Spicula non vidit, durasque auctoribus artes?

Sic solet audaces Rhamnusia plectere Iberos,

Vertere & intorquere rotam, quò justa Deorum

Mens agitat. celebre hic pando ac mirabile visu

Herois facinus, clades minitatur acerbæ,

Et proprio Cæsar periit, quem strinxerat, ense.

Mauritio ductore feris concurritur armis;

Ingeminant tormenta sonos; cœlum omne remugit,

Armatasque acies, vallumque ærata resolvit

Machina, & horrendo campos disrumpit hiatu.

Heu fastum infandum! metuit Papenheimus inertem

Se Batavos servasse fugâ, nullamque salutem

Ni facerent superesse viam, quam faucibus curis

Pectora gestabat, quantoque afflicta dolore,

Non fore qui Martem expectet, qui ritè resistat

Audaci, impavidisque retundat viribus hastas.

Ast quam signa libens tanti jam nescia fastus

Deponit, tumidæque minæ timuere Batavos.

Heu turpi data terga fugæ, quam vana laboris

Exorsa,

Exorsa, averfosque Deos damnabat inultus!
 Quàm fracta cervice dolet, quam robur & ingens
 Gloria, quam certum incerti victoria fati
 Explodit, medioque gemunt spectacula mundo.

Dicite magnanimi vos propugnacula Schenckî,
 Sors anceps, rota fortunæ, laudumque tribunal,
 Quàm sævas in bella manus, violentaque fata
 Plorastis, superabat Iber, superabat Iberum
 Mauritius, raptosque suis adscripsit honores,
 Ac titulos avulsit ovans; quam vincere nescit
 Qui malè vincit Iber, tantòque hæc gloria major,
 Quantò majori spes Regi erepta periclo.
 Sanguine si fuso laudes, si fama paratur
 Cella, cruentato capiti signabitur ingens
 Gloria, Mauritio dum dextera finditur auris.

Quid memorem Heroi innatos pietatis honores?
 Quid flammæ? perspecta Iovi, & venerabilis orbi
 Relligio intemerata viget; si gesta loquantur
 Nassavii, mediam dictis abrumbo loquelam,
 Ne sua quæ totum plusquam venerata per orbem
 Gloria, difficili labet obscurata Camœna.

Dic Sigena mihi quoties infecta Deorum
 Limina Romano cultu, temerata profano
 Sanguine? quàm rasi fratres, damnataque Papæ
 Turba cruentatos (clamor super æthera surgit)
 Exercere dolos, ac ficto pectore fari?

Protinus armatas infert in moenia turmas
 Mauritius, facti vires exercitus illi
 Suecorum, Regisque favor, metuendaque Mauris
 Dextera suffecit; renuunt parere superbi,
 Sed noctu tormenta parat, clademque minatur
 Interitumque viris, sævasque in funera dextrās,
 Et strictos in fata enses, trepidantia frendent
 Pectora, sic pelli veteres ex urbe colonos.

His aliisque Diis mentem Tritonia Pallas

Irradiat, Comitisque ausus ac prælia pandit.
 Iam genus antiquum, proavos, ac fulmina belli
 Tollit, & extemplò serie lassata quiescit.

Iuppiter, & quorum in coelis divina potestas
 Numina, Palladium volvunt sub pectore mentem,
 Et stans immotis similis sententia fatis,
 Neptunum, Martemque trahit, quorum aspera pridem
 Consilia occiduo innocuam discerpere gentem
 Spes omnis votumque fuit; promisit honores
 Quilibet, ac duro afflictis solatia bello,
 Naffovioque Duci Batava regione tuenti
 Assertam ferro patriam, moderamina rerum,
 Et Tartessiaci committit regna tyranni.

Protinus occulto turbantur fidere mentes
 Belgarum; virtusque Deum descendit Olympo.
 Fit fragor, atque avidos impellunt fata Batavos,
 Heroemque volunt lapsis succurrere rebus,
 Et procul occidui fines extendere mundi.

Iam Comitè affantur Proceres, dum plurima mentem
 Gloria sollicitat, virtus, laurusque, decusque,
 Et patriæ virtutis honos, vindictæ nepotum,
 Magnanimique Ducis profusus sanguis oberrat,
 Et stimulat commotum animum, iratumque fatigat
 Pectus, & insanos flagrat prosternere Mauros.

Sicque ajunt: tua Mauriti tua vivida virtus
 Æmula Dīs patriis, & partæ gloria famæ,
 Te super astra vehunt, celso tua nomina coelo
 Cognita, perpetuis olim celebraberis hymnis.
 Cæsareus te tollit apex, & sanguine claro
 Progenies meruit tantæ reverentia stirpis
 Ætherios, nostros etiam mereatur amores.
 Labitur insolitus pridem fragor æthere ab alto,
 Stelliferique tremunt axes, concussa remugit
 Terra, pedes dubio figunt vestigia gressu,
 Quæritur in Batavis quod tantum fata tumultu.

Prodi-

Prodigium pandant; stupuit miracula rerum
Belga, nec obstricto valuit se solvere nodo.
Sic Phœbo Omnipotens, nobis sic Phœbus Apollo.

Molior Occidui confringere moenia regni,
Et celsas quassare domos, evertere gentem
Invisam Superis; magnam trahet illa ruinam,
Præcipitesque adigam subito per inania lapsu.
Dicite Nassavio, quo non mihi gratior alter,
Nec cui multijugum melius committo laborem;
Ille meos servare lares, ferroque corusco
Occiduo quondam Mauros exscindere in Orbe;
Nec virtus conclusa loco est, qua utrumque recurrens
Sol videt Oceanum, famæ distendet honores.

Accipe dimissam cœlo Dux inclyte mentem,
Et tua quò te fata trahunt, felicibus Euris
Appropera, fatis in Veteri tua cognita virtus,
Nunc alia Auftriacum vexa regione tyrannum.
Te pelago terraque ducem Rex summus Olympi
Iupiter, ac Divùm, postquam sententia votis
In varios distracta modos, vox una creavit.
Tu modò qui potes Herculeos superare labores,
Coelitus immisso noli pugnare favori;
A te iura Themis capiet, Mars artis honores,
Armaque, & Heroi audebit sua subdere tutò
Sceptra, enses, fascesque, tuis Mars vivet in armis,
Et nova Battavicis fulgebit gloria terris:
Discutiet Phœbus tenebras, & vespere ab ipso
Sol radios veterem claros disperget in Orbem.

Hactenus unanimes Nassavia flexit habenas
Belgarum, tutique paternis viximus arvis,
Pervigili virtute Ducum; jam latiùs ortos
Imperii fines ultra Garamantas & Indos
Proferimus, mundique novos properamus ad axes,
Extra anni solisque vias, sic victa virescent
Oppida, sic prono stabit victoria fato.

Hæc

Hæc domus, hæc adhibenda manus, cui numina cœlum,
Et cui concredunt vastæ moderamina terræ.

Obstupuit Procerum dictis, monituque Deorum
Mauritius, linguâque hærebant verba diferta.
Postquam oculos inter se versi, atque ora tenebant,
His tandem dictis taciturna silentia rupit.

Quò cupitis Patres properos me figere gressus?
Quas latè calcare vias? quæ regna per undas
Visere, & Occiduos alibi prostertere Mauros?
Non equidem Oceano, nec debeo fluctibus ortum,
Non mihi Lar Triton, nec patria pontus & æquor,
Non mihi cymba domus, nec fluctivaga Amphitrite,
Terra mihi patria est, hæc area panditur armis,
Hic lauri stat meta meæ. Nassavia, quondam
Si dedit Occiduos aliquem qui rexerit agros,
Et factis paria ipse dabo. Si Iupiter ausus,
Virtutesque novo cupis explorare periclo,
Adsum, morigerusque tibi parebo vocanti.
Quà pelagus, quà terra patet, luceſcet ubique
Phœbus, & oblatos coram spectabit honores.
Vos Batavi proceres, Tuque ô Frederice tuorum
Præsidium, cumenque fave, dum gloria major
Nascitur, & faustis confurgit laurea Belgis.
Ibo per occiduum quà Sol cadit aureus orbem,
Castellæque duci eripiam famulantibus astris
Hesperium regnum; nil me movet Æolus asper,
Aut regnans liquidis glaucus Neptunus in undis:
Si juvat iratos ad sidera tollere fluctus,
Tranquillo nihil unda nocet; constantia major
Surget, & ætherium supplex spectabo Tonantem,
Sanctaque devoto venerabor numina cultu.

O dignos Rectore sonos! ô principis ausus
Carminē tollendos! quàm laus præclara Parentis
Defuncti in Natum transit. quàm carmine digna
Iane geris, si carmen amas. Majora poetæ

Singula

Singula dum fingunt, tua sunt majora poëtis,
 Gestaque Pierias lassant illustria Musas.
 Dumque ego tantarum cumulos comprehendere rerum
 Conor, & immensas Herois pandere laudes,
 Celsa fatigatam turbant exordia mentem;
 Pelion inferrem glaciali promptius Ossæ,
 Tutius Atlantis fulcirem vertice cœlum,
 Qua tua prætenerâ laus decantetur avena.

Defudent alii fictis extendere verum,
 Protrahere, ac rerum longis ambagibus usi,
 Fatidico audaces cantu pulsare penates,
 Aret vena mihi, finemque exordia ponunt;
 Laudibus innumeris mens obscurata stupefcit,
 Ad nova dum trahitur cunctorum oblita labascit,
 Nec felix mens ante potest miracula doctis
 Aut dignis celebrare modis; heu nescia tantos
 Dedicicit bello meritos proferre labores!
 Quo me cunque feram splendent virtutis honores
 Luce sua, vereorque infernas ferre tenebras,
 Dum viget æternis clarissima gloria factis.
 Si quicquam tacuisse velim, quodcunque futurum est,
 Majus erit: si justitiam, Themidosque benignæ
 Fata feram, major fulgebit gloria Martis;
 Si Martem, sua jura Themis laudabit inermis.

Quid Phœbo nunc teste canam; mihi panditur æquor
 Immenſum, rapidis virtutum mergor in undis,
 Nulli unquam concessa viro immaculata bonorum
 Præmia, quos mores decorant, quos vultus honestat
 Corporis, informi maculatur sæpè figura;
 Si quem animi exornant dotes, virtutibus illis
 Forma obstat; forſan bello præſtantior alter,
 Crimina foedabit pacem, nec ſingula cuique
 Dona Dii, diſiſa ſuæ dant ſplendida genti
 Munera; rara viris pietas qui robore pollent,
 Hunc rigor, hunc foedæ damnant contagia vitæ:

N

In

In Te mista fluunt : Domino cernuntur in uno
 Singula , disceptantque tuæ virtutis habenæ ,
 Quæ major , quæ præ reliquis dignissima lauris.
 Nescio quam primùm mirer. Clementia mentis
 Proscripsit rabiem , sedemque in pectore fixit
 Hæc Dea , quæ poenis , nec sanguine pascitur atro ;
 Ocyus ultores gaudet deponere motus ,
 Quàm sumpsit , veniam dat victo , fontibus ultro
 Ignoscit , precibusque piis mens victa movetur.
 Illa negat , cuius mox gaudeat ipsa repulsa ,
 Hoc deforme putat quicquid deforme mereri.

Splendescit grandæva tuis Prudentia factis ,
 Inconcussa Fides immoto tramite perstat ;
 Quæ loquitur constanter agit , promissaque verbis
 Præmia fallacem renuunt admittere vocem.
 Displicet ingenuam retro mox vertere frontem ,
 Et falsa fraudum specie promittere vera :
 Quavis parte Labor vigilantia lumina vertit ,
 Nec patitur cæcam quassare pericula mentem.

Attigit insignis sublime Modestia culmen ,
 Sed tarda gravitate nitens ; conspectior ostro
 Maiestas , summumque decus , speciesque decora ,
 Rectoremque docet solers natura creatum.
 Quem patiens constansque animi latet inclyta virtus ,
 Iustitiæque tenax ? Si sensum Astræa recondat ,
 Pondere virtutum quicquid complector anhelat.
 Nunc tua te virtus latè super æthera vexit ,
 Cognita Dîs Superis , nullique incognita genti.
 Hinc ego iudicium vasto quod spargitur orbe ,
 Et quo cuncta fluunt paribus suffragia votis ,
 Nec reor indignum , nec Tu indignaris haberi.

Fulgens stella micæ , terris venerabile pignus ,
 Virtutumque Pharos , clarumque exemplar honesti ,
 Coelica quem summis satagens sapientia rebus
 Præficere , atque novi moderamina credere mundi ,

Advo-

Advolat, Aoniasque lyras intendit Apollo.
 Musa sonat, dulcesque modos, ac carmina pangit;
 Rumpunt altiloqui taciturna silentia vates:
 Ollis numen inest, utque hoc agitante calescunt,
 Blandifono latè resonat modulamine cantus,
 Pieridesque novæ propinant pocula venæ;
 Laus tua si summo potuit placuisse Tonanti,
 Carmine nunc humili placeat constricta poësis,
 Uno etenim de fonte fluit, magnisque repulsis,
 Sæpius in parvis recreantur numina donis.
 Si veniam mihi fata negant, ignosce, volenti
 Sæpius ignoscunt Superi; conatibus ipsis
 Placantur, paribusque nitent exordia lauris,
 Queis solet eventus magnæ splendescere pompæ.

Si nitor eloquii facundæ munera linguæ
 Exerat, & varios depingeret ore colores;
 Si Maro concineret, si Tullius ore referret
 Naffovium, ac belli Trojani scriptor Homerus
 Mauriti in tantos si solveret ora triumphos,
 Forfitan imparibus flueret facundia venis,
 Et gemeret claris virtus incognita cæptis.
 Ductorem Te forma facit, celsoque creatum
 Sanguine Te monstrat, magnum Iovis incrementum.
 Nec tibi mortales visus, quibus aurea cedunt
 Sydera, conspicuo dulci moderamine vultu.
 Elucet gravitas fastu perspecta remoto.
 Asperitate carent mellitæ flumina linguæ.
 Tristia frons refugit, cultisque à moribus omnis
 Horror abest; toto splendet nitor igneus ore.

Sæpius indomitas undas, tumidasque procellas,
 Et placidis Euris actos ad sydera fluctus
 Sedasti, hac illac proram obliquante carina.
 Tu curis agilis, vel quod facundia linguæ,
 Vel dicat Mavortis honos, vel publica poscit
 Causa, per immensos generosa mente labores

Invenis, illæsumque caput super æthera tollis.
 Quot linguas, quot verba sonas, tot gentibus ortus
 Crederis, & patrias audire & reddere voces.
 Mascula Germanæ dispergis fulmina linguæ.
 Gallica verba fluunt suavi prolata lepore:
 Ausonio nunc ore gravi Romana resurgunt
 Eloquia, ac veteres audes perstringere nævos
 Lapsantis linguæ; facundâ differis arte,
 Si Lusitanus patrio cupit ore profari.

Si quæ miles agat juvat indagare, Senator
 Ipse tibi consulta paras, nec providus, hostis
 Atroces ausus metuis; non arte Pelasga
 Terreris; si qui tentent longinquâ tumultus
 Regna, tuos linqvis fines, ac robora coràm
 Complecti gestis, præsensque abstrusa tueri.
 Consiliis augetur honos, exempla que cæptis
 Prælucent antiqua tuis; Prudentia Martem
 Dirigit. occurrat faciès liberrima regni,
 Protinus audacis succurrit gloria Bruti;
 Nec patitur Titus esse ferum, nec gratia vultus
 Trajani, sanctâque fide tibi Regulus exstat
 Exemplo, Manliique rigor, sævique Neronis
 Funera, Tarquinii fastus contemnitur altus.

Robora dat securus amor; servile timeri est.
 Hoc frænum imperii, blando si clara potestas
 Nixa supercilio. Rumpunt, dux inclyte, filum
 Dicendi, flatuque vocant ad America regna,
 Illaque Te primum, Tuque isthæc primus amabis.

Interea Proceres instructa classe parare
 Vela jubent, celsumque Heroem ad littora ducunt
 Insignes splendore viri: ruit undique vulgus,
 Et faciles fortunæ auras, ac fata precatur:
 Illæsum servate ducem veneranda Deorum
 Numina, funestis anima objectata procellis
 Alite perrumpat dextro; dent sydera votis

Succes-

Sucessum, sedentque atratas æquoris undas.
Sic vaga puppis eat valida fundata carina,
Et conjurati veniant ad carbasa venti.

Iam labente die portum, pictasque carinas
Invadunt fessi, dum sic Comes inclytus armis
Henricus, Fratrem compellat vocibus ultrò.

O mihi luce magis Frater dilecte, quis auctor,
Et tanti quæ causa mali? mors pallida, dixi,
Supremusque dies animas disjunget amantes,
Funera nos solvent, dumque hæc mihi mitia Parcæ
Fila trahunt, dum vita manet, sociata manebunt
Pectora; proh Superi quibus hîc disjungimur oris!
Vivere te credam, sed vitam mortis in umbra;
Plus ego dum morior credar superesse, nec ullas
Delicias vitæ, nec dulcia præmia cernes.

Heu rerum inconstans fatum! subjectaque regna
Fortunæ volucrique rotæ, quàm passibus errat
Incertis mens cæca hominum, quam ignara futuri,
Quàm labat ambiguis iterum sententia fatis!

Obticuit, lectoque hæc tandem candida Fratri
Pectora Mauritius dilecta voce recludit:

O animi pars chara mei, spesque altera Belgæ,
Avocor, Occiduique sequor certamina mundi:
Avocor, avellorque tuis per fata lacertis,
Non tamen avulso spectabis fratris amores.
Corpora si distent, animo conjungimur uno,
Signaque flagrantis vivent in pectore motus.
Non temerè hos casus, nec tanta pericula rerum
Experior, nec sponte mea, vix certa voluntas
Suasit, ab immenso flexus moderamine cœli,
Hæc ego, quo cernis casu, discrimina tento.
Sic olim incertis, quo me mea fata vocabant,
Passibus abreptus, felix ad littora veni,
Et mihi pro voto felix fors obtigit ultrò.
Hinc Iovis Occiduas etiam mandata per oras

Perferam , & hâc olim famam sparsisse juvabit.

Hic mea Nassovicis clarescet gloria lauris ,

Brafilicumque solum nostris gaudebit habenis.

Salve dimidium cordis , salvete Batavi ,

Et quicumque meos alibi spectastis honores.

Ibo , quâ pelagi finès , & QUA PATET ORBIS

Terrarum , audacis prodam vestigia plantæ.

Protinus è puppi signo Classeinus ab alta

Fulmineo tonat , aut faustis dat carbasa ventis.

Insonuère tubæ , surgitque per æthera clamor

Nauticus , ærisonoque boatu sydera clangunt.

Vela percussis tumuerunt flatibus , altus

Incitat Eurus aquas , terræque urbesque recedunt.

Æquora veliferis jam currimus alta carinis ,

Et motas fulcamus aquas , promissaque faustis

Littora prodigiis coram præsentia certant.

Numina suaferunt , atque omnem prospera dixit

Relligio cursum. Stabant confisa Tonanti

Pectora , spumosas frustra quassata per undas.

Eminus horrifonus ponto mox ingruit imber ,

Et classi nocitura parat , procedere velis

Illa , nec infânas audax curare procellas ,

Fluctibus inconcussa manens ; volat acta per æquor

Inflatum , barathrique imo jam gurgite raucos

Absorbet fluctus , rursusque agitata per auras ,

Verberat ætherii sublimia sydera cœli.

Sol caput abscondit , tumidisque immergitur undis.

Ingruit horror aquæ , crepitantque ingentia proræ

Robora : Classeinus vultu turbatus acerbè ,

Nunc illis animum , nunc istis pectora curis

Excruciat , dubitans Batavisne residere terris ,

An petere Occiduas invitis debeat astris.

Utque anceps hæsit , gemit alta navita voce.

O Ducis impavidi virtus , nihil hæc tua turbat

Pectora tempestas , sævi nec vespere ab atro

Sur-



Surgentes venti? scopulos interque charybdes
 Versamur, miseræque instant discrimina vitæ.
 Iam dudum obnixus studui superare labores,
 Et pelagi infandos casus; ast irrita duris
 Omina majori trepidant formidine cæptis.
 Non mihi si referat cœlo Rex Iuppiter alto
 Auxilium, his sperem Americam contingere ventis.

Audiit effusos turbato pectore questus
 Mauritius, timidosque animos hoc roborat ore.

Siccine transversis paulo diffidere fatis
 Audetis? graviora olim patientia vicit,
 Et Superis concessa fides. Iam flectere vidi
 Te dudum frustra, cui fas procedere Divis
 Invitis? vertamus iter, quod sydera, cœlum,
 Quod ventus, quod fata trahunt, lassata quietem
 Puppis amat, Superisque sui stat causa laboris.

Dixerat, obliquantque finum, cursuque secundo
 Quod pelagus, quod numen agit, dant carbasa ventis:
 Conspirant Zephyri, volitat cita gurgite classis,
 Atque Britannorum tutis advolvitur oris.
 Hic tempestatum, tantæque pericula sortis
 Produntur, non ira Deum, non aspera lethi
 Causa fovebatur, sed gloria, Regii honores,
 Et terris prognata salus. Duinckerka superbo
 Robore, ventoso servabat in æquore puppes
 Armatas, rapidasque intendunt gutture voces.
 Celsam aquilam quid musca vorat? mortalia plusquam
 Pectora, cum vili scelus est configere gente,
 Sic cœlo moderante rates, sic sanguinis hæres
 Cæsarei, ante suos in America regna recessus,
 Debit ore coli Regis, certumque futuræ
 Sumere amicitiae pignus, captasque carinas
 Solvere, & in Batavas tutò dimittere terras.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

FRAN-

FRANCISCI PLANTE MAVRITIADOS

LIBER VIII.

ARGUMENTVM.

SEdata maris tempestate Classis ex Anglia solvit. Feliciter eam ponti numina comitantur. Prospera ei omnia vovet Arion. Insulam, Maij de nomine sic dictam, orcyus appellant, ibique Imperator nomen saxo insculpi mandas. Inde mare repetit, plurimamque orbi nostro inusitata observat & notat. Mox Americam contingit, & totum bello se parat. Conflictus inter Nassavium & Hispanum. Portus Calvus obsidione cingitur, & feliciter superatur.

POstquam undis jam prima quies, irataque dudum
Littora Diis pelagi placuit componere ponto,
Inceptum tentamus iter; rapit Auster in altum.

Carbasa, & infidis melior Fortuna carinis
Excipit errantes: laxi sonuere rudentes,
Et facies obscura soli post terga profundo
Æquore delituit: cœlum undique & undique pontus.
Protinus Heroem placatis Najades undis
Arripiunt, Nereique cohors, & cœrula Thetys,
Cunctaque in æquoreis stipabant numina regnis.
Fluctibus insultans citharam feriebat Arion,
Auguriis, votisque novis mulcebat habenas
Æquoris, & placidum stravit modulamine pontum:
Quippe nefas ac turpe ratus, venerabile cœli

Depo-

Deposita Occiduas sine vate accedere terras,
 Nassaviumque decus digno sine teste laborum
 Ire fretum, & mundi extremos properare sub axes,
 Mauritiumque suo non inclarescere cantu.
 Huic tanto Fortuna viro ne pessima dixit
 Insultes, averte malum, tetrumque nocendi
 Crimen, & antiquæ recidant oblivia pœnæ:
 Hos mihi lætitiæ casus ne polluat atrox
 Hora, vel ingenuas mœstus dolor augeat artes,
 Vel cadet in Superos, Musas, Charitesque, Themisque,
 Noxarum quæcunque fluet; si damna resultent,
 Hac veho tela manu: liventia carmina nosco,
 Vestraque mordaci proscindam numina lingua.

Iamque auræ spirant faciles, & numina votis
 Læta adsunt, stellæque micant, atque æquora tutos
 Neptuni advolvunt undoso murmure fluctus.
 Æolus æquoreis impellit carbasa flabris,
 Et manibus frenat Cauros, Austrosque catenis
 Stringit, & è placidis Euros emancipat undis,
 Ne puppes vel scylla ferox, vel cæca Charybdis
 Sorbeat, aut diræ sydus ferale Lacænæ.
 Singula conspirant, tellus, mare, ventus & æther,
 Affulgetque novo suavis Fortuna labori.
 Illic magna Dei subeunt miracula, vastis
 Fluctibus emergunt sinuoso gurgite montes,
 Terra salutiferis Batava formosior herbis.
 Illic Thyrsifero rident florentia Baccho
 Arva; viret campus generosis fertilis uvis,
 Floreque Nectareo recreat super æthera Divos.
 Illic aurivagæ volucres, circumque supraque
 Pectora mulcebant cantu, mitesque volabant
 Ipsa sub ora Ducis, terræque advertere proras
 Nunc iterum atque iterum dulci modulamine tentant.
 Dux pronas agnoscit aves, terraque potiri
 Gestit, & optata plantam defigere terra.

O

Illic

Illic æternis insculpi nomina faxis ,
 Postque abitur seris servari postulat annis
 Nassavii titulos per tot discrimina vecti.
 Insula mensis erat Maji de nomine dicta,
 Nunc tua Mauriti, si fas invertere nomen ,
 Nomina perpetuos servet modo nata per annos ,
 Celsaque laudatam tollat super æthera famam.

Iamque vagos iterum fluctus Aquilone secabat
 Mauritius , flagratque novo contingere mundo
 Imperii fasces , radiant flammantia noctu
 Sydera , miraturque polos errare perenni
 Lege , nec immotis virtutem opponere fatis ,
 Quod vagus omnipatensque orbis volvatur in orbem ;
 Cynthia quod crescens jam cornua vertat in Ortum ,
 Languida in Occasum ; roseæ quid lumina Lunæ
 Inquinet , & fædis maculis infuscet honores ,
 Astraque retrogrado properent sub inania lapsu.
 Singula miratur ; refluus Neptunus in undis
 Quam modò distendat , quàm nunc constringat habenas
 Undarum , quàm cæca sinus vis efferat amplos ,
 Nuncque iterum obscurus recidat tumor efferus antris ,
 Lunaque monstratas timeat transcendere metas.
 Unde suos ortus habeat ventosa potestas ,
 Et redeant placido tranquilla silentia ponto.
 Hic turpes cernit phocas stipare carinam ,
 Squamigerumque genus , saltantiaque agmina muta
 Cæruleo revoluta freto , miroque volatu
 In cellas penetrare rates : pars æquora merfa
 Antra agnata petit , pars huic contraria sedi
 Gestit ignotas alibi volitare per auras ,
 Fabula non agitur , nec mentis ficta poësis ,
 Spectavi quæ gesta cano , quæque auribus hausi.
 Vidimus ætherias pisces tranare per auras ,
 Credere se cœlo , rursusque sub æquore mergi ,
 Instar avis , quæ piscosi nunc littora ponti,

Nunc

Nunc redamat terram, ac superam se ferre per æthram.
Turgida jam spectat quæ carbasa ditibus Eos
Mercibus implerat. quoties absentia Matris
Occurrit, Dea Thetis adest, quotiesque Sororum,
Afficiunt oculos sinuoso gurgite Nymphæ,
Et veteres acuunt memori sub pectore flammæ.

Tertia dilapsis agitur jam Luna diebus,
Insequitur Fortuna Ducem, suprema favebant
Fata Deum Occiduas tandem contingere terras,
Cum procul excelsos montes Regalis Olindæ
Cernimus, Americam Americam pia turba vocabat,
Americam focii jucunda voce salutant.

Iam pelago obvertunt proras, ac dente tenaci
Anchora mordebat fundum, fessasque carinas
Littora solantur; gaudet jam nacta quietem
Classis, & ignivomis placat coelestia bombis
Numina; sulphureique globi, strepitantiaque æra,
Ætherei obscurant rutilantia sidera Phœbi.

Hæc ubi conspexit trepidans Latonia, currus
Flexit, & attonitis retro remeasse quadrigis
Creditur, ac summi auxilium implorasse Tonantis;

Siccine fas homini sedes violare quietas,
Et mentes turbare pias? proh Iuppiter, inquit,
Hos tantos inverte dolos, ne tristia mecum
Numina tentatos deplorent serius ausus.

Sulphurei interea terraque marique fragores
Insurgunt; resonat coelum, campusque remugit;
Audisses, latè Stygias reboare paludes,
Et concussa quati fecundæ robora terræ,
Pallidaque infernæ convelli mœnia portæ.

Mens Ducis inconcussa manet, terraque potitus
Martem infert, longique animo obversa laboris
Gloria magnanimam confert ad prælia mentem,
Et regni momenta sui, finesque subactos
Ponderat, & quæ sit tellus superanda requirit.

Hoc primum summumque ratus , primordia rerum
 Addere virtutem , & cæptis momenta futuris.
 Nausea fluctifoni , nec tardant tædia ponti,
 Nil , licet immenso pelagi quassata labore ,
 Tranquillæ satagunt membra indulgere quieti.
 Dux aliud , quò bella vocant , quò Martis honores
 Sollicitant , meditatur iter. Si gloria mentem
 Incitat , & famam fas est acquirere factis ,
 Splendida devicto servantur nomina regno ,
 Indomitosque juvat pulsos regione colonos
 Subdere , & Hesperios latè disperdere fineis.

Haëtenus insultus , sævique pericula belli
 Circumstant Batavos ; vasti dominantur Iberi ,
 Et clade exfatiant animos , fusoque cruore
 Oppressos laniant Belgas: vis effera fatum
 Pertentat , Divûmque ex alto in prælia dextras
 Incendit , celebresque Herois roborat ausus
 Hesperix scelerata manus ; jamque arma capeffit
 Belliger , infandosque ardet delere tyrannos ,
 Protinus in Calvum furibundo milite Portum
 Approperat. Famæ hic spatium , regnique Philippi
 Gloria debellanda venit: stat gentis Iberæ
 Fastus , & elatas tollit super æthera cristas.

Utque animo hæc contemnit ovans Nassavica virtus,
 Sic resonat. celsos audet tentare penates ,
 Et superas pulsare domos vesana Philippi
 Gloria , inaccessos Batavûm tentabit honores ,
 Et ruet in Stygium , rapidus velut imber , Avernum.

Iamque pedes , jamque ibat eques generosus in hoste
 Terrisonum , gens fusca nigris immista manipulis
 Concurrit , prædasque novas ac munera spirat ,
 Vel sua mortiferis caput objectare procellis.

Iamque propinquabat vallis Dux inclytus altis,
 Et procul excelsas arces in vertice montis
 Miratur , regnique decus , primæque palestram

Gloriæ

Gloriæ, & æternæ causas ac præmia famæ.

Armatae occurrant acies, fervetque recurſu
Semita; non aliter turmatim ex arce ruebant,
Quam memores formicæ hiemis, cum farris acervum
Congestant: resonat raucis plangoribus æther,
Arvaque terrifico latè clamore resultant.
Per campos tormenta boant, reboantque Tonantis
Atria, Tartareas audis resonare paludes;
Cum Ductor tales (casu nox ingruit atra)
Solveret ore sonos: ubi primos crastinus ortus
Extulerit Titan, celsique cacumina valli
Sol feriet, ferient pariter mea fulmina fastus
Hispani, manibusque meis vindicta pateſcet,
Nec referes vesane malum, quo surgis, inultum.

Nox erat, & fuscis terrâ obscurata tenebris
Stridebat, densæque ruebant montibus umbræ,
Agmina disponit, noctemque insomnis agebat
Ductor, & in pugnas aciem instigabat apertas.
Hic fossas, hic castra locat, tormenta, paludes,
Pilaque, funereasque faces; & mille nocendi
Artibus adversos animos accendit in hostes.

Iam formosa polo tenebris aurora fugatis
Effulget, radiantque excelsa cacumina montis,
Protinus armatos campis disponit apricis
Mauritius, primosque novo parat Orbe triumphos,
Et studet invisam Batavis excindere gentem,
Magnanimo sic ore sonans. Tu Martia pubes,
Hesperios victura Duces, si gloria quondam
Erigat impavidas in atrociam prælia mentes,
Si validis quondam famam meruistis in armis,
Hic laudi æternum spatium, jugulumque Philippi
Hic petimus; recidet virtus & robur Iberi
Solo ausu, spreto nil pulvere fama paratur,
Clarius in magnis lucet victoria cæptis:
Primus eques causam aggrediar, consorsque pericli

Et confors famæ; dicent me pondera rerum
 Dissimilem, similemque ferent discrimina vobis.
 His cæptis illustris ero, spes sola triumphi
 Victores facit, & partos ostentat honores.
 Eja agite, & medios alacres irrumpite in hostes,
 Languentesque animos fulvi spes erigat auri.

Fulmineum his dictis vibrans super æthera ferrum,
 Militat hoc, inquit, vobis, ac vindicat aras,
 Belgarumque focos, servat, dum perdit, Iberos,
 Per flammæ, fusosque viros, mortemque cruentam
 Ad summas grassatur opes; succurrite fortes,
 Victores sperate Deos; audacia mentes
 Occupet, effrenisque furor; metuisse periculum
 Prælagit, certæque timor pars certa ruinæ est.
 Audete, & cæptis subitam promitto salutem.

Illaque jam peditum turmæ, jam mixtus equestri
 Dicta iterat, rabidosque animos in bella paratos
 Incitat, ac studiis avidos audacibus implet.

Protinus æra crepant, sonitus cecinere tubarum,
 Martiaque horrifono strepuerunt classica cantu.
 Miles in arma ruit, laudisque inflamat amore
 Incensos animos, sylvas, saltusque peragrat
 Belliger, ac densis via devia nulla tenebris.
 Concitat in Martem furiatâ mente Boartus
 Agmina, virtutemque probat super æthera divis.

Mettingi te fama colit, tuaque inclyta dextræ
 Robora, & indomitos ad bellica signa furores,
 Dum premis impavidi vestigia prima Boarti:

Quid dignum mihi Musa dabit pugnantis honore
 Hollingere tuo? partas victoria laudes
 Tollit, & excelsa scandis sublimius æthra.
 Tu mihi da faustos aditus, per tela, per ignes,
 Dum propero, Gradive parens; Bellona canentem
 Securum rape, dum Mavortia prælia pando,
 Factaque sanguineo victricia bella triumpho.

Iam-

Iamque rubescebat profuso sanguine tellus
 Saucia, & ultrices surgebant ensibus iræ,
 Convulsiſt ſuprema furor, nec ſegnius hoſtes
 Pugnabant bellace manu. Ruit ille ſagitta
 Percuſſus, tingitque nigras ſub corpore terras;
 Sulphureo perit ille globo, truncumque relinquit
 Avulſum caput, ac ſtrident in ſanguine dentes.

Tu Coutinjo tuam deplora in funere cladem;
 Et Regis poſt fata tui de ſtirpe nepotes
 Ingeminant queſtus, creſcantque in morte dolores.

Mexenti ac Roxæ Manes (quorumque profundis
 Nomina pro meritis involvunt fata tenebris)
 Hos merito lugete viros, quos abſtulit atrox
 Fataliſque dies, Stygioque adſcripſit Averno.

Fervet adhuc pugnæ facies, occiſaque ferro
 Corpora denſantur; penſatur funere funus,
 Arma armis convulſa fremunt, pugnantque Batavi
 Fatorum immemores: pugnantibus inſtat Ibero
 Acrius, ambiguo Mavors ſuſpenditur auſu,
 Nec cui ſe facilem, an Batavo an demonſtret Ibero
 Stat ratio, motuſque regit ſub corde vagantes.
 Hic Stheneli Bitiæque ruunt, proſternitur Aſtur,
 Ortygium laniat Cœneus; tremit acta per armos
 Haſta, gravi ſolvens juncturas verticis ictu.
 Hic Troas, Rutiloſque vides pugnare feroces,
 Hic Mneſtheus pars noſtra fuit, noſterque Sereſtus,
 Nomina ſi mutes, ſurgent antiqua Potentum
 Robora, & in Batava revireſcent Pergama gente,
 Priſcorumque decus: nihil his virtute minores
 Sors Belgas dolet; Euryalus de gutture rivos
 Evomit, atque animam rubrâ conſpurcat arena.
 Utque alacres in bella viros, ferventiaque arma
 Dux videt, ac medio Martem in crudeſcere campo,
 Innumeros ſubuectus equo ſe fundit in actus,
 Conſilioque regit pugnam; per ſaxa, per umbras

Irruit,

Irruit, ac lethi funesta pericula spernens,
 Instruit exemplo. non vitam curat & annos,
 Dum manet æternæ pugnanti gloria famæ,
 Et Superis cognatus honos, non spicula & enses
 Impavidum terrent, nihil exitialia pila
 Sulphureo nocitura malo. vocat hostis & usus?
 Acer adest, curisque suos defendit & armis,
 Et redit obscuro præcepis victoria coelo.

Protinus in validam retro se conjicit arcem
 Hostis, & in Calvo figit tentoria Portu,
 Hincque amat horrendæ vindictam sumere pugnae.

Iam belli tormenta boant, animosque feroces
 Exacuit vefanus Iber; munimine celso
 Clauditur, atque illic solido stans robore, Diras
 Invocat, infernasque Deas. Mactate Batavos
 Inquit, & invisam procul hinc depellite gentem;
 Infremat excussis furor immoderatus habenis,
 Et micet Occiduis Hispana potentia terris.

Insequitur, trepidoque pedi pede fervidus instat
 Mauritius, cæsosque viros, animasque vomentes
 Purpureas transibat eques, stridore nec ullo,
 Aut gemitu turbatur ovans; nil pulvere belli
 Sistitur aspersus; flagrat sua latius arma
 Pandere, & Hispani sibi subdere regna Philippi.

Iamque arcem adspectat coram, montisque tumentis
 Culmina, quæ excubiis, tragicæ quæ munia scenæ,
 Quæ loca sint vallis, quæ fossis commoda monstrat.
 Hic opera exsurgunt cornuta; hic forma Dianæ
 Nascentis; jam septa labor transversa struebat,
 Terribilique arcem ferit ingens machina pulsu;
 Mox simul æra crepant, rabiesque armata loquentem
 Prevertit, ternisque nocent è partibus arcis
 Valla; quis Herculeos Batavum superasse labores
 Fingat, & antiquos generoso Marte nepotes
 Vincere? Desistat tantis convicta vetustas

Ausibus,

Aufibus, ac tumidas discat deponere mentes.
 In Belgis, Hispanæ, stupe; munimine celso
 Infractum gestis bello terrere Batavum,
 Et vitam fervare fuga. nihil alta moratur
 Moenia, nil celsi terrent munimina valli;
 Muros opponit muris, atque arcibus arces
 Objectat, victorque novos ex Marte triumphos
 Colligit, & veteres deturbat ab arce colonos:
 Haud secus ac leo, vel virgato corpore tigris,
 Pressa fame, prædis inhiat; spoliumque profundis
 Venatur silvis: sic Belga sititor honoris,
 Et famæ, valles declives spernit, & alto
 Vertice regales prædas indagine cingit,
 Et prensat ducis excelsas in monte tiaras.

Heu subito accessu pavidæ stupuere cohortes,
 Agmina densa vident, circumnascentia valla
 Cingere cingendos, rigidisque involvere fatis
 Robora inaccessos Hispani Regis honores.
 Auxilium dum fata negant, & pronior æther,
 Invadunt Phlegethonta preces, ac Tartara placant
 Rubræ aræ, Dirasque adversus Cantaber hostem
 Concitat, ac validos ardet prosternere Belgas.

Tartareum cum fortè sonus properaret ad Orcum,
 Audiit Aleto, quatiensque irata flagellum
 Arma movet, tetroque ausus, ac bella cruenta
 Asperat: utque globos fumanti sulphure ab imo
 Gurgite volvebat, duræ præsagia cladis,
 Lethales vomuit glandes, ac pectora rupit
 Pugnacis Caroli (lateri indefessus adhæret
 Ductor, & atrato conspergitur ille cruore)
 Volvitur in terram exanimis, totosque per artus
 Ebullit cruor, inque humeros collapsa recumbunt
 Tempora, & ore rubrum mulcet sub pectore vulnus.

Duinkerkerè, tuas vires, animosque viriles
 Quis referat? fuso ante diem tepefacta cruore

P

Terra

Terra gemit, frænisque tuis Neptunia proles
 Dum stetit, imperium & faciles admisit habenas,
 Nunc cadis, ac moestos linquis sine Patre sodales.
 Hac Furiae grassentur ope. Tu sanguine poenas
 Mox referes Hispane tuas, ac busta tuorum
 Tristia lethifera serò plorabis in umbra.

Protinus ultrices flammæ tormenta vomebant
 Bellica, & ignis edax summa ad fastigia Portus
 Volvitur, & vasto vallum dirumpit hiatu,
 Hispanosque atro conspurcat sanguine vultus.
 Hic caput avulsum trunco, ac sine nomine corpus
 Sternitur, hîc cervix parte ex utraque pependit;
 Sanguine stridebat vallum, cæsosque potentes
 Ingemit, ac duram deplorat vulnere sortem.
 Quis fragor, aut quod fulmen, ait, sic intonat? eheu
 Quæ vesana Deûm me tanta potentia rursum
 Territat, atque atrox foedo maculare cruore
 Regna jubet? diri tandem fit meta laboris
 Belga, nec infestis ultra me involve ruinis.
 Plus satis Hesperii animos satiaſtis in arvis;
 Cessate, & sævas posthac deponite mentes,
 Ne mihi funestos generet Fortuna dolores
 Exanimi, cladis dum strident fata prioris.
 Quo properas Mars, sæve pater? quid subruis alta
 Mœnia? quid diris Corybantia flatibus æra
 Concutis? auxilioque carentia nuda relinquis
 Pectora, Nassavios mox persensura triumphos?

Sulphureis iterum concussit glandibus arcem
 Ductor, & infandam postquam querimonia gentem
 Plecteret, alta ruunt, vallumque irata resolvit
 Machina, & obscuram format vis effera noctem.

Iamque manu gestans infandæ tela ruinæ
 Nassavius, quò laudis honos, vindictaque Divûm
 Clarius immenso latè fulgesceret orbe,
 Pectoraque attonito percelleret alta timore,

Acrius

Acrius insurgit, truculentaque tela per arcem
 Ejicit, abstrusas servantia ventre favillas,
 Ignivomaque volant cauda, mox lapsa per auras
 Rumpuntur, totosque involvunt clade penates;
 Et feriunt cæcas imâ tellure cavernas.

His Phlegethon nec Lemnos habet violentius ullum
 Armorum genus, aut Stygiæ vidêre Sorores
 Horrendum magis; immanes sensêre fragores
 Tartara, & obscurum penetravit fulmen ad Orcum.

Iamque arx horrifonæ dudum præfaga ruinæ,
 Heroumque neces, foedasque in sanguine coràm
 Deplorans animas, Calvumque à sedibus imis
 Convelli Portum, ruptosque fatiscere muros,
 Has iterum querulo fudit de pectore voces:

Quid rursus, Fortuna, furis? quid sèva Philippi
 Moenia convellis? Regisque insana tiaris
 Insultas malefida mei? quò pristina virtus,
 Quò recidit virtutis honos? victricia pridem
 Arma per immensum distendi latius orbem,
 Hocque mihi vindicta loco, trepidataque ferro
 Dexterâ, Cattigenis tota regione fugatis,
 Inconcussa steti superato palma Batavo.
 Nunc vallis oppressa cado, tumulosque meorum,
 Ac fatum crudele gemo. cur Iuppiter illis
 Cladibus, aut tanto juvat indulgere labori?
 Peccavi? tu damna refer, tu fulmine fontem
 Percute, & infernis animas involve tenebris.
 Cur mea Battavicis conservas moenia lauris?
 Cur tua religio, pietas, cur templa, diique,
 Cur patitur veneranda Fides? cur fabula Belgis
 Audio, & infaustæ exemplum memorabile pugnae?
 Cur Superûm conversus amor? cur gratia in iram
 Solvitur, ac veniam cogor vitamque precari?
 Hoc ego dum mediis infelix angor in armis,
 Neve aliud quò me miseram solamine firmem,

Hoc restat, si victa cado, me vincere credam,
Dum mea Nassavicis vincetur gloria dextris.

Dixit, & extemplò fasces transcripsit & enses
Mauritio, patuitque ingens victoria Belgis.

Aspera jam positis mitescunt tempora bellis,
Desævit Martis rabies, tormenta, tubæque,
Et galeæ radiantis apex, pugnæque ferocis
Impetus, ac rapidæ discedunt partibus iræ,
Dum sua Battavicis submittit colla triumphis,
Et leges devicta capit vastissima cœlo
Regia vis, discitque novo suspendere mundo
Præmia, & Occiduis regem depellere regnis.

Panditur arx, portæque patent, ac pervia ferro
Facta via, Austriacos Batavûm postponit honores,
Nataque vindictam truculento sumit ab hoste
Libertas, vincitque suis arx victa ruinis,
Nec studet Hispanis iterum servire tyrannis.

Quo merito hæc signanda dies, quo pugnat Olympus
Mauritio, ac famulas advolvit pronior auras;
Sic Superi, ficque ipsa suis adversa triumphis
Ora favent: Mars arma stupet, factoque requirit
Occultas vires: juvit fiducia cœptum,
Audenti dum cuncta favent, fortuna labores
Mollit, & immensos, virtutum robore, nutu
Finit, & ingenio herois fors ipsa quiescit.

Summe Ducum, gentisque tuæ, magnique parentis
Gloria, magnanimo dux exæquande Camillo,
Æmule Scipiadum, quò te virtutis honores,
Quò te clara tuæ devolvunt præmia laudis?
Subjicis abstrusa Occidui penetralia Phœbi,
Luxuriemque domas fati, gladioque corusco
Contundis gentem, quæ celsa cacumina cœli
Attingit fastu, ac mortales despicit omnes.
Tu dirimis cœli felix certamina victor.
Te, non Alciden, miror, si dira leonis

Ora

Ora Cleonæi; Tu regis rumpis Iberi
 Gloriam; is Antæum pugna, Stymphalidas arcu
 Stringit; inaccessas aliis tu disjicis arces,
 Et cadit inceptis Portus vastissimus ausis.
 Cura, labor, prudensque animi vigilantia mentem
 Roborat, ætheriisque audet se condere regnis,
 Ac desperatis nescit diffidere rebus.

Iamque suis victor Portus in mœnibus altis
 Constitit, utque oculos partes diffundit in omnes,
 Hic tumulos, hic busta videt, fusoque penates
 Sanguine conspersos, plorantiaque arva subactos
 Ense viros. crepuit raucis stridoribus æther,
 Et tactæ resonant acri clamore paludes;
 Dux clarâ sic voce sonat: quàm colla tyrannis,
 Iupiter, & sceptro Mauros ultore coerces:
 Quam populi tot fata tui moderaris, & inter
 Classica, lethiferasque minas, sævosque furores
 Nascitur afflictis præceps victoria turmis!

Summe Deûm, quàm justa tui moderamina regni,
 Gloria, & immoti constans promissio fati!
 Has ego post varios terræ pelagique labores,
 Afflatus propiore Deo, monituque Tonantis,
 Aggredior Superûm causas. Violarat Iberus
 Efferus ætherios Divûm super astra penates,
 Et procul Occiduo plorarat America mundo
 Sæva Tyrannorum grassantia crimina; ferri
 Crescebat furialis amor. Spirabat Erynnis,
 Impia progenies; mergitque in sanguine dextras
 Gens Portu confisa suo, validisque lacertis
 Turgida. Proh rerum sortes, quàm tempora mutas,
 Iupiter, ac victos subitò transcribis honores;
 Quàm vindicta trucem flagrat prosternere gentem,
 Et stratos tellure viros procul ire sub umbras,
 Infernas umbras Erebi, Portumque secundo
 Numine Battavicis posthac splendescere sceptris!

Interea hinnitu campos complebat acuto
 Acer equus, fremituque ferox spumantia mordens
 Frēna, triumphales fastu prodebat honores,
 Et partas gaudebat opes : jam miles in arma
 Surgit, & in festam vētuntur seria pugnam.
 Iam fugiunt, iterumque reflexo tramite, pulsas
 Restaurantacies; latus hoc mentitur Iberum,
 Hoc Batavum: resonabat atrox ex mœnibus altis
 Machina, sulphureosque globos super æthera vibrans
 Numinis ætherea laudes modulatur in aula.

FINIS LIBRI OCTAVI.

FRAN-



FRANCISCI PLANTE MAVRITIADOS

LIBER IX.

ARGUMENTUM.

S*Vperato Portus Calvi propugnaculo , Comiteque Baniola
in fugam acto, Castellum ingens ripæ Francisci Fluvij, rupi-
que, Mauritius instruit, deque suo nomine Mauritiij arcem
indigetat. Inde Recissum petit , ibique divinum cultum religiosè pro-
moveret , & meliorem sanctioremque Politia formam prudentissime
præscribit.*

P*ostquam Nassavicis armamentaria dex-
tris
Austriacis erepta aquilis , rutilansque
Deorum
Gloria Brasílico latè splendesceret or-
be ,*

*Mauritium majora manent, fulgensque triumphis
Area , Battavicas ultrò comitata secures,
Instigat flagrantem animum: PLUS cogitat ULTRA
Victor , & occiduo lauros suspendere mundo.*

*Haftenus adversos Batavis ploravimus astus ,
Vulnera , combustosque agros , ac noxia belli
Crimina , jam volucres flammæ , stridentiaque arva
Sanguine , fiderea dum vox resonabat ab arce:
Hic stragis vindicta tuæ , rapidique furoris
Virga , cruentatos posthac ridebis Iberos
Belga nec Hispanos ultra plorabis honores.
Hanc ferro signate viam , Comitemque fugacem
Banjolam , externos aliò propellite ad Indos,
Nassaviique herois honos , trepidataque bello*

Dextera

Dexterâ crudeles excindat clade tyrannos :
 Ite, nec adversis, quos ferrum objectat, Iberis
 Parcite, sed patuli sint præmia faucibus Orci,
 Ultricesque manus, rapidosque in funera motus
 Horreat infandi gens execranda Philippi,
 Iusta que Francisci fluvius sit meta laboris.
 Illic Mauritiî surgat de nomine vallum,
 Nassavicæ virtutis apex, quem ferreus agger
 Ambiat, ac nullo perstet quassabile ferro.
 Hic tutam belli sedem natura creatrix
 Suggestit, invictamque dedit rapidissimus amnis.
 Hic armenta boum riguis pascuntur in arvis,
 Hædorumque greges saliant, ramosaque lætis
 Agmina cervorum detondent pabula campis.
 Hic fontes salientis aquæ per gramina currunt,
 Arentesque levant jucundo frigore fauces.

Protinus à tergo devicti moenia Portus
 Deseruit Ductor, Comitemque indagine filvis
 Banjolam cingit, tumidisque ex ordine turmis
 Dux inhiat, flagratque infestam excindere gentem.

Interea dant terga fugæ, rapidisque salutem
 Imbelles quærent pedibus, seseque profundis
 Involvunt tenebris, silvasque agrosque pererrant
 Exanimes, prædamque oculis ensique cruento
 Ereptam placidæ fatagunt committere vitæ.

Ante oculos Banjola comes, quem fama benigna
 Reddiderat clarum celsos super ætheris axes
 Avolat, atque illi celeres timor applicat alas,
 Regnaque Battavicæ linquit spolianda catervæ.
 Impar in Batavas armis consurgere turmas,
 Nassaviumque Ducem, Superi quem gloria regni
 Legerat indigenam, accelsa regione locarat.

Stat circum Bellona ferox, hostesque cadentes
 Absorbet furiata manus, passimque per agros
 Funduntur lacerati artus, lethique dolores

Gustant

Gustant ante diem. Clades Rhamnusia vindex
In Mauris compenſat ovans, ſclerataque pridem
Vulnera profuſo neſcit fatiare cruore.

Hoc pretio graſſetur Iber, terrasque repoſtas
Poſſideat, Batavis illam ſi debeat arcem,
Et regni momenta ſui, damnoſaque ploret
Gaudia: ſi virtus eſt vincere, parta tueri
Majoris virtutis opus; dominetur Iberus
Efferus, Occiduiſque aquilas expandat in oris,
Fortia ſi Batavis tranſcribat caſtra caterviſ,
Hiſpanoque urbes, & cinctas moenibus arces
Eripiat Fortuna Duci. Naſſavica Maure
Nomina, & Herois lauros admitte nefande,
Dum ſequitur te pone nefas, juſtique furoris,
Et læſi vindicta Dei; ſic dentibus atrox
• Frende, ſed iſtantes propter plorare Batavos
Diſce, procul rapidas exerce in pectore flammas;
• Dum feriunt ſimiles exercita pectora virgæ.

Quàm ſubito virtutis honos, trepidataque fama,
Quàm priſcæ recidunt vires, quàm valla pateſcunt
Invia, Battavicis dudum ſervata triumphis.
Cuncta pavent, mutantque vices elementa; vagatur
Per ſilvas, fluvioſque excors, cui robur in armis
Figere jam neſcit tutæ veſtigia plantæ
Vanus Iber; ſi more feræ per inhospita dumis
Antra ruat, Batavus ſubito delapſus ab alto
Tergo iſtat, ſpoliumque nigris adſcribitur umbris.
Quàm tumidas, memini, quondam ſuper æthera criſtas
Suſtulit! exſiccate lacus, attollite montes,
Siſtite decliveis fluvios, & Pelion Offæ
Iungite; ferratos obices, vanosque labores
Rideo; mille modi reſtant, artesque nocendi;
Hac, illac penetrare datur, tutiſque pateſcit
Semitæ certa viis; vani Phaethontis honores
Tangentes Phœbum, incaſſum tentatur Iberi.

Q

Gloria,

Gloria, & Occidui penetralia diffita regni.
 Quàm moles concussa ruis? quàm robore nullo
 Nassovii, portusque tuos camposque patentes
 Linqvis, & interitum fugiendo avertis Ibere?
 Forſitan infames Romano ſanguine Cannæ,
 Aut Poeni ducis in Latias cum ſurgeret urbes,
 Aut Medi exemplum iratam cum ſcanderet Hellen,
 Obſtrepit, ac timidos artus expectorat horror.

Fatorum jam finis erat, ſuperataque latè
 Flumina Franciſci, lætiſque exultat in arvis
 Battavus, ac firma figit tentoria ſede.
 Non ultra Hiſpanas acies, gentemque minantem
 Exitium, nec tela vides; abit omnis in auras
 Regia viſ, noſtriſque patet vaſtiſſima mundi
 Portio, & occiduis ſurgit Naſſavia terris.

Ardua jam ſubeunt animum moderamina rerum;
 Imperiique decus: quantas confuſio clades,
 Ac deploratam doleat Reſpublica ſortem,
 Si condant ſua jura Themis, ſi prima reſurgant
 Tempora, Cimmeriumque Chaos, viſ enthea mentis
 Ponderat, ac tantis tenebras avertere rebus
 Mauriti labor unus erat; dant prima futuris
 Succellum, facilesque vias, prudentia finem
 Principia, ac fauſtis medium ſuccellibus ornant.
 Haud mora, deferuit devictas fluminis oras,
 Ferratumque jugum, vaſtique cacumina montis;
 Inque Recifanos terraque marique penates
 Seſe iterum aëriis victorem conjicit alis.

Una ſalutantum vox eſt: Braſilia vive
 Auſpice Naſſovio, teque hoc Rectore beatam
 Prædica, & æternis in ſecula ſurge triumphis.

Neptunus ſua vota lubens, magnique profundi
 Iura parat, totumque tuis ſe viribus æquor
 Mancipat, Hiſpanas deſeſſum ferre carinas.
 Littora, terra favent, cœlique exſurgis honore,

Vaſta-

Vastaque Nassavicis paret Brasilia jussis.

Protinus infractus bello , longaue viarum
Ambage , assiduas volvens sub pectore curas ,
Intima scrutatur , rerumque indagat habenas ,
Quid vitio careat , quid sit virtute probatum ,
Singula fulgenti satagit splendescere luce.

Principio Deus ante alios , cultusque Tonantis ,
Herois pia corda movet , densasque tenebras
Horret , & ardescit ritus abolere profanos.

Da veniam , Gradive parens , tuque augur Apollo ,
Si minus à vestris poscam solatia fati ,
Et procul à ficto divinior aura recedat.
Christe fave , æterni soboles æterna parentis ;
Cujus ope cœlum , pelagus , terræque theatrum
Exstitit , horrerent dum densis cuncta tenebris ,
Hac quoque Mauriti virtus , hac carmina constant.

Si latuit spissa quondam caligine mundus ,
Summe Deus , quanta latuisti ignotus in umbra ,
Hac cæca terræ facie , quam clara Tonantis
Gloria numinibus fuit obscurata profanis !
Excæcat Stygii Gentes dominator Averni ,
Nec penetrat cœleste solum mens insita terræ ,
Et fruges pecudum ritu depascere nata ;
Vivitur , ast vita , quæ si non nata fuisset ,
Suavior extinctæ superesset portio vitæ.
Nil tua majestas , virtus , bonitasque , fidesque ,
Gloria , & æternis numen venerabile fati ,
Nil vastæ telluris opus , nihil atria celso
Fixa polo , Superûmque lares fera pectora tangunt.
Quàm poenæ vitam ignaram , quàm crimine plenam ,
Quàm sua plectendis absolvunt tempora culpis !
Heu stirpem cœlo invisam ! quàm prima creantis
Gratia , quàm primævus honos à mente recedit ,
Nec damni stat gnara fui , poenæque futuræ.
Foedera , Divorumque fides , fusique cruoris

Q 2

Hostia,

Hostia , pro nostris à Christo oblata piaculis,
 Hæc vis , illa latet celsi clementia cœli,
 Nec desperatæ deplorant fata ruinæ.

Sermo Dei , medicina animæ, quam frigida menti
 Fabula, quam fictæ fuerat sententia linguæ!
 Nunc divina poli resonant miracula mundi
 Tractibus Occiduis , cæcoque expellitur orbe
 Lex adversa Deo , totoque oracula cœlo
 Proveniunt, surgitque sacri reverentia verbi.

Hic fundat Pater æternas in secula leges.
 Hic dextræ immotum robur , quo cuncta creabat
 E nihilo, vox sancta, docet , quam conditor alta
 Atria , quam terras , quam quæ conclusa profundis
 Sedibus Oceani, quam quæ super ætheris axes,
 Cunctaque quam voluit densis prodire tenebris,
 Et nutu constare mero, verboque potenti,
 Singula quæ vasto splendent miracula mundo.

Hic animum astrigere fubeunt fastigia cœli ,
 Hic genus ætherium ac volucres sine corpore mentes
 Extollunt Genitoris opus , summique Tonantis
 Nomina , & arguto decantant gutture laudes.
 Hic Cherubinatorum volitant Seraphinaque latè
 Agmina, cuncta datis intendunt flamina jussis.

Si tueor convexa poli, flammantis Olympi
 Lumina, & excelso rutilantes fornice flammæ,
 Si rapidos quam lucis equos educat ab ortu
 Phœbus, & in media cœli regione moratus
 Sese iterum præceps humiles demittat in undas,
 Quam factum facti ignarus cursu atque recurso
 Ingeminet; cornuta iterum si signa Dianæ
 Occursent, rursusque petito lumine tota
 Splendida fidereos axes fulgore coruscent;
 Si vastam terræ molem, magnumque profundum
 Aëre suspensum tenui, sed robore cernam
 Immoto, tumidumque fretum, rursusque remissum,

Sin-

Singula divinas cogunt expromere laudes.

Forſitan immenſi ſtridentia murmura ponti,
Et vaſtos pelagi fluctus, Neptuniaque arva
Navita pertimuit; raptim frenabat habenas
Iupiter immodicas. Divûm moderamina quiſque
Sorte ferat, tumidos extollat in æthera fluctus
Æolus, infanas nutu regat æquoris undas
Neptunus, placetque actos ad ſidera motus,
Nec ſibi præſcriptas Thetys transcendere metas
Sufſtineat, juſſu ſecluntur cuncta Tonantis,
Vaſtaque divinis conſiſtunt regna lacertis.
Hinc laudes, Deus alme, tuas infantia prodiſt,
Immenſumque ſtupet facinus robuſtior ætas.
Hic lætæ ſurgunt ſegetes, & olentia rura,
Arboreuſque vigor, violæ, Divûmque ſub herbis
Numen, & immenſæ fragrant virtutis odores.

Hic genus aligerum concentibus omnia complent,
Iam ripas lituſque maris, jam ſtagna Paduſæ
Vocibus incendunt, Atheſiſque Arnusque canentes
Audit, & Eridanus geſtit, favet unda Cayſtri,
Americumque ſolum. Propius ſi celfa Creantis
Gloria, & humanam ſpectans ex ordine gentem
Gratia ſubveniant, quantum natura creatrix
Protulit artis opus! divinæ mentis Imago
Extat homo, Divûmque tegit ſub imagine ſortem;
Juſtitia ac pietatis apex; & quicquid honeſtum
Exquirunt Superi forma ſpectatur in una.
Condigna heu cœlo ſoboles, celfique Tonantis
Fulgida materies, quàm te maleſana voluntas
Abripuit, Satanæque furor! quamque ardua virtus
Exulat, inque ſcelus rupit tetrum! arboris uſum,
Quem vetuit lex clara Dei, rapit impiger ore,
Et parat (horrendum) certæ veſtigia mortis
Luxurioſa fames, primosque invertit honores.

Aſt ſubitæ ingluvies deplorans fata ruinæ,

Q 3

Corpo-

Corporis ingemuit nudos animæque recessus ;
 O diræ in pomis epulæ , fructusque nocentes
 Egregii adspectu , quam verfas dextera funus ,
 Quàm lethum sub dente premis , semenque sepulcri !
 Ast quid sæve parens generi nocitura parasti ?
 Cur tua libertas vetitos dum flexit in actus ,
 Nos pariter culpa miseros involvit ? an atrox
 Quod tua posteritas crimen commisit , honores
 Abrumpit primæve tuos ? culpæque nepotum
 Participem te fata volunt ? cur prima ruina ,
 Cur tua deperdunt miseros peccata nepotes ?
 Cur luctus , cur cura , fames , cur livor & ira
 Impellunt cæcas animas ? cur terret Orion
 Flatibus , & Stygii fauces panduntur Averni ?
 Cur pelagus , cur terra nocet ? cur noxia mundo
 Sidera ? cur lolium ac steriles extrudit avenas
 Orbi dura parens ? cur rumpunt fila sorores
 Immites ? sævas cur colligit Atropos iras ?
 Cur Divûm conversus amor ? cur invida mutant
 Fata vicem ? ô rerum casus ! quid serviat æther ,
 Quid tellus , si læsa pii clementia cœli
 Abnuït , & justas infert pro crimine poenas ?
 Lex homini quæ prima data est , fuit illa nepotum ,
 Lapsæque posteritas culpa labentis Adami .
 Sic natura mali , sic justa potentia vindex
 Afficit horrendis immania crimina poenis .
 Heu rerum inversam faciem ! quàm gloria terris
 Excidit , ac priscae recidunt virtutis honores ?
 O Chaos antiquum , & nihilo minus aptior orbis ;
 Te quoque consortem voluerunt fata dolorum ,
 Et nostram ob culpam te persentiscere poenas ?
 Cuncta gemiscebant rerum submersa potenti
 Pondere : nulla salus lapsis , via nulla salutis ,
 Cunctaque commeritas urgent elementa ruinas ;
 Cum subitò hos inter casus , præsensque periculum ,

Mor-

Mortis, ab ætherea Omnipotens descenderet aula,
 Gratiæque afflictis suavi promitteret ore
 Immeriti momenta boni, pro morte salutis
 Præmia, & æternæ certissima munera vitæ.

Ecce Adam tibi sponfor adest, culpeque luendæ
 Victima, disruptæque parabit fœdera legis.
 Iam certus spera, quam desperare salutem
 Fas erat, ille tui partes, causamque clientis
 Suscipit, atque reus pariter cum vindice prostat.
 Gesta Palatinis olim resonantia terris,
 Feralesque obitus, patriam, genus, almaque mortis
 Præmia, & ætheriæ stirpis miracula stupefcet
 Posteritas, votiva Patres altaria cernent,
 Taurorumque rogos structos, si filius Abre
 Ligna gerat, domini terræ morientis imago est,
 Et vitæ laus una tuæ: solatia lethum
 Præfagit, meritæque reportat præmia palmæ.
 Terrarum pelagique Deus gestatur in alvo
 Matris, & immensum numen pars parvula mundi
 Cingit; ab exiguis capitur, quem vasta creantis
 Machina, distensis nescit comprehendere nervis.
 Lux, lux illa poli coëcis absconditur extis,
 Ventreque jam minor est cœlo qui grandior omni est.
 Principiū vitæ ignarus jam supputat annos,
 Exactosque dies; coëunt æterna caducis,
 Et Deus in fragilem gaudet transire tabernam.
 Naturæ confors Superūm vilissima glebæ
 Portio, miraclo spectandam ponit in uno
 Immensam rerum summam, mundique theatri
 Artificem, tegiturque caduca carne creator.

Ætherei cecinere chori, radiansque polorum
 Machina jucundos monstravit in aëre vultus.
 Incipit Ægoceros mitescere, cessit Olympo
 Arctophylax, Perseusque minax, sua signa Bootes
 Mutat, & à toto discedit fabula cœlo,

Fingen

Fingentumque labor. Sensit Galileæ futurum
 Doctorem, stupuitque docentem docta cathedra
 Mosis; adhuc tenerum horrescit mens territa vatem.
 Turbantur manes Ereabri, miseroque dolore
 Invidiæ macerant animas, spoliumque gulosa
 Avulsum queritur rabies, poenisque remissis
 Eumenides complent illiso Tartara planctu,
 Flagraque desistunt umbras vexare profundas.
 Irarum cedunt stimuli, laxata potestas
 Poenarum, ponitque modum gens horrida noxis.
 Dum Latio deservit amor, bellicque cupido,
 Horrida Tartareas involvunt prælia turmas,
 Inferno nocitura Deo, dum nascitur infans,
 Gloria sævitix Stygiis denascitur antris,
 Et casus concussa capit. Stupet illa jacentem
 In cunis, tenuesque lares ac tecta tenentem
 Sordida, quem vasti concernit gloria mundi.
 Sic jacet orbis honos, patriis velut exul ab arvis,
 Dissimulatque Deum, mox hoc decorandus honore,
 Quo Pater ætheria supra splendet in aula.

Dumque pruinosa virtus divina tabernam
 Incolit, Assyrii ac Persæ volvuntur ab ortu,
 Contemtumque colunt Reges, ac munera portant.

Sic micat in densis orbis lux clara tenebris,
 Regiaque has inter sordes veneranda potestas;
 Et resonant oracla Dei; præconia templis
 Anna refert, celebrantque poli natalia turmæ.
 Nascitur æterni clarissima gloria patris,
 Inque suos abiit tractus; verum ætheris author
 Quæ fecit, tribuitque, caret, juguloque paratur
 Ensis, & extinctos plorat Bethlemia natos.
 Heu scelus! una dies vitam, mox destinat idem
 Interitum, innocuæ nescit Rex parcere proli.
 Nil flectunt oracla Dei, crudelius usque
 Mens cæcata ruit, veniant tellure sepulti,

Corpo-

Corporibus redeant animæ, spiretque cadaver,
 Durius in tetro component pectora lapsum,
 Et gremio abscondent cœlestia pignora terræ,
 Æternis devota umbris. Iudæa furores
 Asperat, ac miseros artus crudele flagellum
 Lancinat. improbitas sceleris nil linoit inausum,
 Transcenditque fidem furibundæ insania dextræ,
 Ac spuit in pulcros atrox dementia vultus.

Definat Hippolyti laceratos fingere nervos,
 Definat Andromedæ, Titii, justasque Promethei
 Turba Poëtarum numeris absolvere poenas:
 Cæditur hic insons animus, sine crimine pectus,
 Iustitiæque parens. En fit mercabile cœli
 Numen, & in pretio gaudet conviva magistri:
 Relligio, pietas, merx fiunt sacra furori,
 Et dolus in speciem formam mentitur honesti.
 Scilicet hic Superûm favor est, ut criminis expers
 Crimine submersos redimat; ludibria passus
 Fœneret æternos titulos, captusque Parenti
 Captivos reddat, vinctosque in carcere, vinclis
 Solvat, & illacrymans lacrymas abstergat ocellis,
 Partaque pro merito regalis adorea frontem
 Cingat, & immeritæ reparetur gloria genti.
 Cernitur in medio pendere ex arbore Christus
 Latronum, si fortè queat sceleratior illis
 Explodi; heu geminos inter spectande Photinos
 Iustitiæ ac pietatis apex; heu quanta malorum
 Agmina pro nostris in te fluxêre piaculis,
 Quàm perfossa riget clavo pia dextra trabali,
 Quàmque labascentes ultro vox allicit hostes,
 Et facilis poena absolvit clementia fontes!
 Inclinat caput, atque humeris conversa recumbunt
 Tempora, nudatumque latus transverberat hasta.
 Sanguine terra rubet, placataque numina reddit.
 Quàmque tulit culpam primi fatale parentis

R

Crimen,

Crimen, & horrendo subjecit pectora letho,
 Expiat, & nostros sparsit post terga dolores,
 Commeritumque malum; moriens formidine mortis
 Absolvit morituram animam, placidæque saluti
 Mancipat, & lætæ despondet gaudia vitæ.
 Tartareus ruit orbe dolor, venit omnis ab uno
 Parta salus, requies animæ, solatia mentis,
 Ac sævi medicina mali; suffragia legis
 Irrita, & inferni despectæ principis iræ.
 Quàm cedi natura Deum perterrita sensit,
 Quàm vultum irata abscondit, mediaque coruscans
 Luce refulgenti decessit Phœbus Olympo,
 Involvitque diem tenebris; quàm terra cavernis
 Horruit, ac trucibus tremuit concussa procellis.
 Quam delubra Deum, perculsaque machina templi,
 Quam moriente Deo rediêre cadavera terris,
 Partaque perpetuæ degustant pocula vitæ.
 O lethum vitale piis, in versa que fati
 Vulnera, vivificæque neces! quam gaudia luctus
 Excitat, ac miseros à poenis poena relaxat.
 O suavis dolor, ac parti per funus honores,
 Æternique dies! dederat clementia, cedit
 Iustitia, atque modum imponit sapientia rebus.
 O fidei lux alma meæ, vitæque labantis
 Auxilium, mundique salus; tua gloria mentis
 Infirmæ occecat radios, & gratia culpam
 Longius excellit quam distat vesper ab ortu,
 Sanctaque ab humana differt divisa potestas.
 Si casus Deus alme tuos, & prodere facta
 Suscipiam, vastis curarum absorbeor undis.
 Te cepit funesta domus, moestumque sepulcrum
 Seclorum vitæque pater. Tu luminis expers
 Christe jaces, ternisque abscondit pulcra diebus
 Auratam Phoebe faciem, cecoque sub antro
 Membra latent, noctis spolium, cui maxima Phœbi
 Side-

Sidera, cui rutilo fulgentia lumina cœlo,
 Cunctaque stelligeri parent elementa theatri,
 Imperio producta tuo. Tu luminis auctor,
 Ipsaque lux mundi, obscuro sine luce sepulcro
 Conderis, ac duro servantur pectora saxo.
 Stat circum ferrata manus, manesque sepultos
 Miles obit, procerumque pavor rapienda timefcit
 Corpora, ne falsis forsan mendacia verbis
 Ore ferant, surrexit ovans, gelidumque reliquit
 Servator tumulum: primâ sic ultima labes
 Pejor, & attonitum cogetur credere vulgus
 Hunc terræ coelique Deum. Iam tertia Phœbi
 Lux micat, ac terno cæcâ caligine sole
 Conditur in terræ gremio, jamque hora laboris
 Venerat exhausti, nec vis armata retardat
 Surgentem, nec molis onus, patuitque sepulcrum,
 Et simul armatæ fugiunt de marmore turmæ,
 Remque suis gestam referunt: stupuere tyranni
 Divinæ virtutis opus; fallacibus illi
 Utuntur dictis, atraque involvere nube
 Miraclum mundi fatagunt: vos dicite raptum
 E tumulo, dum fessa forent gravitate soporis
 Corpora, vos vestris poenam meruisse piacis,
 Et veniam fontis facti, vitamque precari.
 Hoc pretio victi, faciles absolvite curas.
 Sique quid eveniat culpæ, nos sæva luemus
 Fata, nec à vestris poscentur debita dextris.

Sic Dominum periisse juvat, si pallida lapsum
 Funera, si nequeat duri vis efferax saxi
 Afflictum servare vadem. laxata patefcunt
 Marmora. sic decuit claro cum sole renasci
 Iustitiæ jubar, ac lucem decorare triumphis.
 Foeminaque ut culpæ sic partæ nuncia vitæ
 Prima fuit, stupuere locum sine corpore inanem
 Balsama portantes matres, Myrrhamque suavem.

R. 2

Vos

Vos æterna dies immensa laude nepotum
 Efferat, ac sacris resonans facundia templis
 Dulcia turbato referat solatia mundo.
 Vosque piæ mentes, quas partæ cura salutis
 Tangit, & afflictas recreant tenebroſa ſepulcri
 Marmora, mordaces animis expellite curas,
 Sidereas tentate domos, Superûmque penates
 Impavidâ pulſate manu, dum celſa redemptor
 Aſtra petit, meritamque refert poſt prælia laurum,
 Dum ſervit natura vadi, ſupplexque miniſtrat
 Servitium coeleſtis honos. rapit ignea nubes
 Terrarum dominum, ſtipantque ex ordine turmæ
 Coeleſtes, latèque vehunt ſuper ætheris axes
 Victorem, ac ſpoliis laudant Acherontis onuſtum.

Has animis calcate vias, hæc ſemita ſanctis
 Digna viris, radietque fides comitata per alta
 Atria, ſi tardæ nequeant veſtigia plantæ.
 Hic decus aſſertum vobis, hic regna pateſcunt
 Fulgida, & occluſi quondam penetralia cœli.
 Hic nova libertas, & gloria celſa paratur,
 Hic merces datur ipſe Deus, cœlumque, ſaluſque.

Maxime fatorum domitor, dum Tartara frendent
 Invida, & humanam ſatagunt evertere gentem,
 Aſſere Chriſtigenas, parvæ miſereſcere turbæ,
 Notaque promeritis vigeat clementia ſignis:
 Si Phlegethon, ſi regna nigræ funeſta paludis,
 Si reges Erebi, ſi triſtia fata flagellis
 Afflictas cædant animas, ſi procreat æſtus
 Infima progenies, Superûmque excandeat ira
 Tartareis accenſa odiis, ne reſpice Chriſte
 Horrendam Eumenidum rabiem, maleſanaque mentis
 Orſa, ſed ad fluctus, tempeſtateſque ſonoras
 Alliſos defende viros, ſtygiosque furores
 Siſte, tuique lubens gazas affunde favoris,
 Sacraque divinis caleant præcordia flammis.

Exu-

Exulet improbitas, venerataque saxa Deorum,
Teque jube Pater alme coli, nec credulus error
Tercentum tonet ore Deos, Hecatenque, Iovemque:

Tu qui cuncta creas, regis, ac collapsa potenti
Robore restauras; surgat tibi gloria mundi
Tractibus occiduis, cæcasque ex orbe tenebras
Discute, ne foedo moriantur crimine gentes.

Haftenus in Superûm curis, hominumque salute
Ductor ovat, sacrique facit splendescere verbi
Illustres radios (quorum mihi numinis actu
Cura laborque fuit) nunc te, Comes inclyte, virtus
Avocat in partes alias, dextramque potentem
Et regimen, fascesque tuos Respublica poscit.
His mixtus constabit honos, regnique perennis
Gloria, vanescetque novi fex fordida mundi,
Et quondam deforme Chaos: deserviet æther
Gentibus, ac placido fulgescent sydera vultu,
Magnaque Brasiliis surget reverentia terris.
Applaudent delubra Deûm, sacroque Senatu
Curia, nec fessos causam plorare clientes
Neglectam fors dura premet. Te præside regni
Vivet honos, cultusque Deûm, litesque subortas
Castrensi dirimes lauro: vis una tuetur
Et belli & momenta togæ, ne crimina solo
Damnentur gladio, vel inermis lapsa ruinam
Curia deploret, tristesque in funere casus.

Incedit Bellona comes, Themidosque labores
Vindicat, armatasque vibrans Astræa secures
Gradivum adsciscit socium, qui candida legum
Mox consulta probans animo sociatur in uno.
Te ductore, Comes, radiat Respublica felix,
Te duce conspicuos coelis exæquat honores,
Et regit infestum solers prudentia ferrum.

Hos ego dum regni nervos, dum robora pando,
Magne Parens, faciles producant carmina Musæ,

R 3

Et

Et cæptis dent vela meis ; fine numine numen
Non canitur, Deus ipse suos orditur honores.

Nesciat Occiduum legum momenta tribunal
Obscuris cæcum tenebris , tu provida terris
Iussa paras , constantque tuo subsellia jure.
Tu populi fis norma tui ; dumque orbis habenas
Rectoris capit , obsequiis constantibus anteis,
Nec jussis parere pudet , cum sydera , tellus ,
Cunctaque perpetuis substant coelestia fatis.

O Ducis excellens virtus , spectataque mundi
Gloria , quàm senium mentitur moribus ætas.
Quàm fortem ratione domas , dubiosque caducæ
Fortunæ casus ! quantas prudentia laudes
In te seclusas aperit ! quàm fumit ab uno
Attonitum vulgus justæ prælagia vitæ ,
Virtutumque decus ! lucent exempla Camilli,
Scipiadum , splendet veteri Germanicus ævo
Cognitus , ac prudens Romanæ curia gentis.
Si lateant priscae leges , si justa regendi
Regula , tu mandata paras , ususque magister
Optimus , experti referat moderamina secli.

O soboles mansueta Dei , cui celsa Tonantis
Gloria præluet , quàm te clementia Divis
Æmula sydereos latè super ætheris axes
Tollit , & in coelo coelesti exæquat honori !
Tu rigidæ à teneris damnas suffragia mentis ,
Proscribisque tuo calidos è pectore motus ,
Ne diri præceps animum vindicta cruoris
Incitet , ac sævis vilescant nomina dextris.
Sique tuus Torquate rigor violenta ministret
Iura , vel injustis furibundè frena relaxet
Incensus furor , hæc aliis invertere formis
Novit justa manus : nec vilibus ira piaculis
Æstuat , aut magnis indulget gratia culpis.

O rerum occultas vires , quàm principis æstum

Quis-

Quisquis amat, metuit, quàmque est servile timeri
Sevitia regnante, modum quàm figere nescit
Poenarum immoderatus amor, neglectaque culpæ
Virga. tibi clarum designant sydera nomen,
Iustitia moderante ratem, sint præmia justis,
Injustisque dolor: poenas Clementia mollit
Coelestis soboles, ne mens irata furores
Expuat, aut calidis crude scat dextera plagis.

Summe ducum, clarumque novi venerabile mundi
Exemplar, quam tu nocturnas luce tenebras
Discutis, ac rutilo terram fulgore coruscas.
Haud aliter quàm si præcedat Lucifer ortum,
Astraque gavisò comitentur fulgida motu,
Et sibi partitum ducant à lumine lumen.
Confiliis consulta probas, nec iusta monenti
Avellis faciles aures; si numina temnit
Improbitas, Superùmque choros, si spretor Olympi
Dux Libyæ rubras audet se sistere ad aras
Perjurus, Divùmque paret violare penates,
Vindictis officium præstas, poenasque requirit
Ultrices irata manus. Si credulus error
Decipit incautos incerta sede vagantes,
Errones meliora doces, iustumque parandi
Pandis iter, tecum sentit communia vulgus
Commoda, communes gemitus ac gaudia miscet.
Sic vulgi fortuna tua est, surgitque, ruitque,
In ductore suo vulgus: fique una tuetur
Sors binos, levior fuerit portata duobus.
Quàm modicè vulgi crescis popularibus auris,
Quàm vanas iterum nudatas jure querelas
Despicias, ac stultæ rides ludibria mentis
Iustitiæ sublimis apex, quàm celsa Deorum
Dona tuo unius clauduntur singula fato.
Nos sublime caput radiis fulgentibus aurum
Exuperans summa coeli regione locamus.

Occu-

Occupet interea Occiduas sua gloria terras,
 Hic populi concursus ovet, fremituque secundo
 Irruat, Americaeque plagas, axesque cadentis
 Solis amet, surgant illic ingentia rerum
 Culmina, virtutumque decus, regnique beati
 Gloria, & æternæ præludia cognita famæ.
 Accedant Superûm plausus, radientque corusca
 Sydera, Phœbeusque decor dissolvat Olympo
 Nubila, & his saltem faveat natura diebus
 Afflictis Indorum animis, gemitusque quiescant.
 Factorum te tollat honos, & vespere in ipso
 Splendeat Occiduis lux optatissima terris,
 Imperii fax clara tui. Themis alma labores
 Mitigat, ac justis subscribunt numina jussis,
 Adspirant convexa poli, Superûmque favores
 Terra capit, tantisque lubens frænatur habenis.

Felix illa dies, qua te mare reddidit orbi
 Brasílico, vastoque dedit te figere regno
 Æquore lassatas per mille pericula plantas.
 Ter felix lux illa, vago qua nubila cœlo
 Discutis, atque nova tellurem luce serenas,
 Qua tecum grandævus adit delubra senatus
 Astrææ, festosque tibi meditatur honores.

O cœli immensas vires! Præponeris unus,
 Omnia ad unius componunt pectora nutum,
 Et laudem parere putant, Mavorisque Themisque
 Annuit, atque datis subscribunt singula votis,
 Vanescitque dolor, tristisque in funere casus
 Transit, & antiqui fugiunt te præside lessus.
 Rectorem te Mina colit, Guinea metallum
 Spondet, & imperio totus se mancipat Afer,
 Vastaque Nassavicos venerantur littora fasces.

FINIS LIBRI NONI.

FRAN-

FRANCISCI PLANTE MAVRITIADOS

LIBER X.

ARGUMENTUM.

E Adventem hæcenus Fortunam expertus Imperator in arcem
Siaram vertit, Hausumque militem fortissimum Classi
præficit. Altum ascenditur. Errorem suum Neptunus ul-
tro fatetur & castigat. Fausti navigantium cursus. Inter Batavos
& Hispanos acris pugna. Nassovium, urbem, templa, pontem fabri-
cantem Fama suspicit, ac ad Africam ferro tentandam impellit. Feli-
citer in eam navigatur. Minæ e mari conspectæ, alloquium Martis.
Aethiopum ac Batavorum conflictus. Hinc Minæ inopinata expu-
gnatio.

S Ingula præclaro conspirant fata labore,
Largitur nova jura Themis, tantoque
superbit
Auspice. Relligio trepidantia corda pa-
vore.
Roborat, ac fuso solatur sanguine gētes.
Mars jussis subscribit atrox; accommodat enses
Mulciber, effigiat scutum insuperabile Brontes.
Ferratis adstat frameis, rutilisque Pyracmon
Loricis gaudet. Steropes thoraca ministrat.
Ipsa duci tellus trifido percussa tridenti
Reddit equos, tumidisque favet Neptunus in undis,
Totaque Nassavicas admittunt regna secures.

Extemplo Dux bella parat, Boreaue relicto
Hesperios meditatur agros, regique tiaras
Vellit, & Austriacos alibi infectatur honores.

S

Arx

Arx animos excelsa subit, gavisâ Sîaræ
 Nomine, Cantabrico dudum servata Philippo,
 Et valida defensâ manu. Laus una Batavos
 Nassaviumquæ Ducem plenè admittere velis.

Protinus armatam deducit in æquora classẽ
 Rector, & Æolios optat propellere ventos
 Carbasa, vincendasque aquilas annectere victis.
 Sicque ait. Oceani soboles, cui pontus & æquor
 Patria, cui gelidæ indurant præcordia noctes,
 Hic belli momenta novi, sortisque futuræ
 Gloria, Diis pelagi fas fit propioribus uti,
 Et faciles tentare vias, casusque profundi.
 Certatim monstrate viri, quid dextera gentis
 Impavidæ possit, vastæ quid in æquore turres,
 Quid lauri conceptus amor, regnique subacti
 Spes stabilis. vestris hic panditur inclyta bellis
 Area, propitios laxet rex Æolus Austros,
 Fataque felices faveant contingere portus,
 Neptuno moderante rates. faciemque retorquens
 Incitat armatas fervens in prælia turmas
 Ductor, & incensas studiis audacibus implet.

Hausi, ait, Occiduis mundi consistimus oris
 Vi superûm, regnique novi victoriâ prima
 Fulsit, & imperio excelsam subjecimus arcem;
 Sic furor Hesperîæ meruit, flammæque piorum
 Crudeles, tetrisque incensæ ululatibus urbes.
 Effulsit pia causa Deûm, partimur honores
 Hesperios & regis opes, medioque potentes
 Surgimus Oceano, ac ratibus properamus in hostem
 Extra anni solisque vias, sequimurque superbum
 Qua præit auroræ Dominum, strathamque paramus
 Ense viam, dubio regnum commune periculo
 Credimus. occultis sequitur victoriâ fati.
 Hesperii vindicta Ducis generosa Batavûm
 Pectora sollicitat, ruimus per saxa, per undas

Arctoæ

Arctoæ gentes, cladique inhiamus Iberi
 Ultiores; qua regna patent, mundique labores,
 Hac quoque virtuti spatium decernimus ingens.
 Cur lauris stet meta meis? cur ultima mundi
 Gloria Nassavicus dubitet succumbere sceptris,
 Et fasces devicta pati? sic cogere fas est
 Indomitos, animosque feris exurere flammis,
 Aufriacasque aquilas, & nomina demere mundo.
 Scilicet hoc aliquid peregrinos visere soles,
 Nec tantum vicisse domi, glebæque paternæ
 Corporis ignavi languentem affigere molem.
 His Ithacus, gemini Atridæ, Tirynthius ausis
 Latius immensum distendant fata per orbem,
 Argolicique duces; nos in majora reservant
 Numina, & ætheriis figunt insignia valvis.
 Huc Patriæ vindicta vocat: devicimus arcem
 Sub Borea, mox clara venit vincenda sub Austro.
 Præcipiti properate gradu, mandata faventi
 Afflamus fremitu, Divosque in vota vocamus.
 Cymothoe calcabit aquas, & cærula ponti
 Æquora. subsident undæ, flatuque fatiscent.
 Æolus infestos placabit numine fluctus,
 Nassaviumque colet post subruta mœnia nomen,
 Et laudem devicta dabunt; sic discet Iberus
 Marte fatigatus tandem mansuescere Belgis,
 Et fractus meliora sequi. Vos sumite poenas
 Hostis, & antiquum gladiis abolete pudorem.

Haufiades, dum iussa capit, laurique futuræ
 Omina, flagrabat Maurorum invadere regna,
 Et victos intrare lares. mox æquora scandit
 Magnanimus, fluidasque domos, ac turgida spectat
 Carbasa; jamque trabes bellum spirare cruentum
 Prælagit, factumque probant resonantia pulsu
 Corpora navali; calidas trux machina turmas
 Incendit, bellique ardet renovare labores

Ductor, & Hispāno dextram fatiare cruore.
Rostratæ aptantur puppes, ac puppibus orni
Excelsæ, absorbentque ingentia carbasa lucos,
Et pelagum turrita tegunt; Mavortia postquam
Pectora flagrabant studiis, dant carbasa ventis
Ocyus, ac rapidis scindunt Aquilonibus altum.

Senferat undifono Neptunus in æquore classē,
Et ratibus sua regna quati, vitreumque cubile;
Protinus eximis pelagi caput extulit undis
Sævior, irati referens furibunda leonis
Ora, triumphantis persuasus classica Mauri;
Utque oculos leviter fluidas intendit in arces,
Ira Deum invasit, bellatricesque carinas
Odit, & infano meditans molimine bellum,
Spumiferos alto ructabat gutture fluctus:
Siccine continuos, inquit, sine mente, triumphos
Invitis meditaris aquis, Neptuniaque arva
Neptuni gens dira premis sine numine nostro?
Quam grata his tandem manibus vindicta futura es!
Quam strages, Hispane, tuas, ac busta tuorum
Lugebis, totoque cadavera nantia ponto!
Utq; Euros, Zephyrosque vocat, rigidasque procellas,
Battavicæ casu gentis dilapsa sub aures
Vox resonat, tardatque immanem pectoris æstus,
Abstergitque vagos oculos, propiusque tuetur
Turritas ante ora rates, aplus tria nescit
Battava, & Hispāno contraria signa tyranno.
Horrescit pelagi Rector, Zephyrisque vocatis
Iratos demit stimulos, ventisque protervis
Imperat, & læto puppes procedere cursu.

Pergit ovans classis, comitantur cærule ponti
Numina, & excelsi rutilantia fydera cœli.
Adspirant faciles auræ, placidumque per æquor
Sydereas agitant puppes, superandaque valla
Objiciunt coram ante oculos, camposque patentes.

Tum

Tum graviter Dux ore sonat. Quam conspicias arcem
 Martia progenies, nostræque potentia dextræ,
 Mox iterum Batavos passura propinquior enses,
 Excelsis equidem circumvallata superbit
 Aggeribus, fossisque, ac fortis robore turmæ,
 Sed feret horrendam mox inconsulta ruinam.
 Huc focii nos fata vocant. Hic præmia Belgis
 Suspendunt, laurique decus; Nassavius heros
 Audiet indomitas alibi in certamina dextras,
 Et simul in rubra victor calcabit arena.

Credite nos mundi curam, patriamque Ducemque
 Hac etiam extrema notum regione viarum,
 Deque triumphata vindictam sumere terra.

His dictis cecinere tubæ, strepituque paludes,
 Et latè insonuit clamor; præludia belli
 Aspera sanguineam versant sub voce ruinam,
 Et lethi secreta docent, pugnæque futuræ
 Horrendos casus; potitur tellure patenti
 Battavus, accensæ crescunt pugnantibus iræ,
 Devictisque inhiant vallis, arcique phalanges,
 Victricesque inferre manus, ereptaque Mauris
 Mænia Nassavicis ardent defendere turmis.

Occursat furibundus Iber, patriosque penates,
 Hesperiasque domos, arces ac tecta Deorum
 Afferit, ac vita mavult arcere pudorem,
 Quam victos plorare viros, fractamque Philippi
 Gloriam, & Occiduos Batavum renovare triumphos.
 Advolat armatum velox Hispanus in hostem,
 Munera despiciens vitæ, mortisque cruentæ
 Funera, seminecesque viros: utque horridus ausu
 Vulnerat objectam, volvitque in sanguine prædam
 Terribili trux ore leo, sic fervidus instat
 Cantaber, invictamque flagrat confundere gentem.

Iamque armis convulsæ acies, campique fremebant
 Sanguine diffuso, turmasque à fronte laceffit

Maurus , & à tergo clausos indagine cingit.
 Singula foedantur ferro , rubefactaque latè
 Flumina , fiderei frendunt stridoribus axes.
 Conflictum Bellona levat , nutuque cruentam
 Atterit armorum rabiem , primusque resedit
 Impetus ; abscondit clarum post nubila vultum
 Phoebus , & austeros nescit tolerare labores.

Nox erat , ac foedo tellus perfusa cruore
 Infandam gemuit cladem , densisque tenebris
 Sanguineas iterum plorabat littoris undas,
 Agmina , confossosque duces. mox ingruit horror
 Armorum , raptimque novas in praelia vires
 Suggestit , ac solo restat victoria ferro ,
 Pugnantumque decus. Primo jam Lucifer ortu
 Culmina , montanosque apices lustrabat apricos,
 Protinus adversos aciem deducit in hostes
 Haufius , immixtisque ardet configere dextris,
 Infernosque lares Erebi , faucesque cruentas
 Dispersis fatiare viris : utque arma capeffit .
 Belliger , excelsam vecors properabat in arcem
 Turpis Iber , sylvasque fuga , saltusque peragrans
 Fortia turritæ contingit valla Siaræ.

Insequitur Battava cohors , propiusque fatigat
 Tentatum Hispani regnum , murisque propinquans
 Belga , cruentato cladem minitatur Ibero.

Mox ubi sulphureis laceratæ impulsibus arcès ,
 Convulsumque latus , nudataque moenia terris
 Exæquata ruunt , stygiis emerfit ab undis
 Tisiphone , torto vittatis angue capillis ,
 Incensasque faces , iterandaque praelia cogit
 Crudelis. Quis torpor , ait , quæ ignavia mentes
 Obruit ? anne iterum passura Hispania damnum ,
 Interitusque novos ? non his satiabere poenis
 Belga , per adversas in te damnaberis artes
 Dire , nec afflictos ultra ridebis Iberos

Fortu-

Fortunæ inconstans facies: spes altera restat
 Hesperiae, terræque Deo. Phlegethonta movebo
 Si nequeam celsi placare palatia coeli.
 Hoc Erebi rex ipse jubet, magnique Philippi
 Tartarei manes, attritaque gloria tantis
 Cladibus, avulsisque invictæ mœnibus arcis.

Mox furibunda filet, hirtosque à fronte colubros
 Disjicit, hîcque mihi, dixit, vindicta Deorum est.

Interea accensas instigat voce cohortes
 Battaviæ gentis ductor, vastæque Siaræ
 Moenia, præcellosque duces in bella paratos
 Dum videt, hac sociis fertur ratione loquutus.

Bellica progenies, cujus virtute phalanges
 Vidimus Hesperias toties succumbere Belgis,
 Si Batavis ultra quicquam restare triumphis
 Creditis, hic ingens lauri, famæque theatrum.
 Vincite, & hos mecum læti conscendite muros.
 A ferro fumenda salus; si spreveris hostem,
 Fregeris. hic tanti profit fiducia coepti,
 Dum patriæ vos cura vocat; supremæque mater
 Battava libertas. iteransque hæc ore frementem
 Inflammat populum, ac medios irrumpit in hostes.

Arx invicta tremit, gelidusque expectorat horror
 Impavidos virtute duces: convitia fundit
 In Diras, Erebi que Deos, umbramque Philippi
 Obscuram, lapsurus Iber, bellique labores
 In sua vertendos, proh tristitia damna, gemiscit.

Acrius insurgunt Batavi, glomerantque per hostem,
 Haud aliter, quàm si, veniens pluvialibus hædis,
 Verberet imber humum, vel si sua fulmina mittat
 Iupiter irata in terras, miserosque fragore
 Obruat, ac toto reboent vaga nubila coelo.

Aspera pugnandi facies, vix spicula in hostem
 Iactat Iber, rapiuntque auræ, rursumque per artus
 Missa repercussi deplorant vulnus Iberi.

Iam-

Iamque cruor totis per propugnacula muris
Destillat, bellicque animis Pater incidit ultrò,
Seclusasque aperit portas, victamque Siaram
Prodit, & Hispanam trudit sub Tartara gentem.

Fama per ætherios coeli gavisa penates
Pervolat, ac Divis devictam nunciat arcem.
Mox repetens terras, æthra despexit ab alta
Mauritium fundantem urbem, mundumque parantem
In mundo, densasque fugantem ex orbe tenebras,
Antiquumque Chaos. Phœbo miracula cadenti
Occursant, radiatque novi nova gloria mundi.

Romulus excelsis ad fidera moenibus urbem
Romanam condit, Romanque à nomine dicat,
Sitque Solos urbs clara suo fabricata Solone,
Magna Philippopolis de nomine dicta Philippi,
Et Craci ducis exurgat Cracovia dextris,
Mauritii Mauritzstadium virtute superbit,
Et sua perpetua revirescit gloria fama.

Exstruat excellens Dido Carthaginis altæ
Moenia, vel reparet munimina celsa Corinthi
Cæsaris ars; nos jure tuam celebrabimus urbem
Ductor, & invictas bello mirabimur arces.
Neptunus dum fortè vagis caput extulit undis,
Credidit Oceanum vastos fulcare penates,
Nec ratibus sua regna quati, fragilique carina,
Sed totis Batavum regnis tranare profundum,
Æquoreasque domos. quaqua vaga lumina flexit,
Undique concussam miratur fluctibus urbem,
Regnaque Nassavicis audet committere dextris.
Obstupuit ponto vastos incumbere pontes,
Divisasque unire domos, urbemque vocatam
Mauritiam, facilem præbere per æquora cursum.
Non Samii, non Xerxis opus, non Cæsaris effert
Caligulæ pontes, non immortalia Divûm
Pignora, nec seclî tollit momenta vetusti.

Hoc

Hoc uno ruit omnis honos, hoc prima labascit
 Gloria, & his cedunt tantis miracula cæptis.
 Deseruit Neptunus aquas, terraque potitus
 Gestiit excelsos urbis pulsare penates.
 Iamque mari mandata dabat, tumidisque procellis,
 Syrtibus, ac totum placabat numine pontum.
 Vix natam calcabat humum: pro numina, dixit,
 Quæ rerum monumenta novarum! fracta Deorum
 Regna labant, sedesque alibi ac tentoria figunt.
 Hæc Divûm fabricata manu: nisi Iupiter urbem
 Ambiat, ac celsi linquat palatia coeli,
 Hos rapiet mihi nemo lares, hæc regna marinis
 Præfero, & æquoreis transcribo pristina divis.
 Progreditur ponti numen, claramque per urbem
 Singula dum lustrat, subeunt delubra Deorum
 Nassavia constructa manu, fulgentia surgunt
 Tempia Helenæ, & priscis occurrant cognita seclis
 Fana; sed hæc claræ prælucent lumina dextræ.
 Exultat mens læta Deo, Comitisque penates,
 Turritamque domum, celso de culmine montis
 Prospicit, ac vasto tangentem vertice coelum;
 Hanc amat, hic lætæ spatium traducere vitæ.
 Interea rumore novo per inania coeli
 Fama volat, victasque arces ac valla Siaræ
 Læta canit, radiantque polo Victoris honores,
 Et plausu gavisa parit nova juba tellus,
 Iamque laceffitos ferro narrabat Iberos
 Fama, nec armatis ultra confidere turmis
 Vecordem Mauri sobolem: majora Batavos
 Bella manere Duces, rerumque exordia majus
 Prælagire decus, violandaque moenia Regis,
 Ac tumidos alibi fastus. Hispania cladem
 Brasilicam, fractosque viros ac moenia ploret.
 Africa Nassavicis nondum mansuescere dextris
 Dedidicit; tentanda via est, lacerandaque regna

T

Qua

Qua pelagi, terræque patet, coelique theatrum.
 Accipe Divorum, dixit, Dux inclyte, mentem,
 Te Mina, te Guinæa vocant; huc dirige cursum
 Victor, & excelsam nutu superaveris arcem.

Obstupuit dictis Rector, subitisque Siaram
 Casibus afflictam, ac Batavis parere trophæis
 Infracta virtute viros, hic prælia rursum
 Velle Deos, orbisque novos properare sub axes,
 Guinæamque Minam Batavis vovisse triumphis.
 Attonito sic ore sonat. quam numina Regi
 Aspera funestis excindunt stragibus arces,
 Quam lapsum lapsu pensant, quamque illa ruina
 Alterius fomenta parit. Brasilia fortem
 Mauritii dextram, nunc sentiet Africa ferrum,
 Nassavicosque Duces non uno sydere claudi.
 Tu certas fortuna vias, tu numina sponde
 Iupiter, ac tumidis insurgant carbasa flabris.

Protinus afficiunt animos dilapsa dierum
 Tempora, & in Batavum maculati sanguine campi,
 Cum vinci vincentis erat, devincere Mauri
 Gloria, & invictos gladio prosternere Belgas.
 Nil refero pugnae faciem, Syrtesque cruore
 Oppletas; horrent ad tristia fata ruinæ,
 Battavicæque neces, & in ævum funeris horam
 Crudelem plorant; Superos si flectere possent
 Nocturni manes, precibusque arcere pudorem,
 Haud stragem Battave tuam patereris inultam.
 Nunc Gradive parens, & vos placata Deorum
 Numina, funesto si mens excindere bello
 Innocuam Belgæ sobolem, Stygiasque sub umbras
 Illustres turbare viros, priscoque tyrannis
 Affulgere loco, & veteres renovare triumphos,
 Parce pater, nec cæcâ animam caligine turbet
 Ira, sed in justos attendant fata furores,
 Commeritumque malum. Nos ad mandata Tonantis
 Seduli,

Seduli, in ignotas alibi properavimus oras:
 Hic iterum, dum fama vocat, fatigue potestas
 Urget, in obsequio gaudet frenata voluntas,
 Et jussis constricta tuis: per stagna, per undas
 Irruimus, vitæ immemores, sortisque futuræ:
 Unus honos, laurique decus, super æthera fama.
 Surgere, vel vitam jussu deponere Divûm.
 In fato dextræ modus est: si fata. Philippus
 In dextris vult esse suis. Nos Iupiter uno
 Te duce propitios speramus in æquore ventos,
 Et faustum fulcare fretum, rabiemque minarum
 Devicta superare Mina. Rex, Iupiter adsis,
 Et lauris insurge novis. tenuissima famæ
 Portio Nassovicos poterit satiare triumphos.

Dixit, & extemplò ratibus præfecit Achilles
 Arctoos, validosque invictis viribus artus,
 Semideosque Duces. rerum his commisit habenas
 Securus. belli suadent momenta prioris
 Auspicium felix, renovandaque prælia cogunt,
 Dum flatu fortuna favet, sortemque secundam
 Suggest, ac læto produnt se numine Divi.
 Sicque ait. illustres animæ, quibus omnis in armis
 Gloria, devictas aquilas novus ingemit orbis
 Hesperia, nunc in Borea, nunc plorat in Austro
 Debellatus Iber, Batavique avulsumus arces
 Impavidi, latèque novo munimina mundo
 Nassavicis parent dextris, ac jussa sequuntur.
 Hic devicta patet promissi portio regni,
 Hic velis favet aura meis: Iamque altera restant
 Bella, nec Occidua satura est victoria lauru.
 Africa Nassavicis jussa est succumbere dextris,
 Et fasces superanda pati; nil terreat atrox
 Æthiopum quondam facinus, Batavusque repulsus
 Fortiter, & pingues tepefacto sanguine glebæ.
 Hæc vis inconsulta fuit, fatigue potestas

Pro meritis adversa: placent nunc altera Divis
 Prælia, & excisæ sevis ululatibus arces:
 Placabit vindicta Deos, Mineque subactæ
 Gloria divinas tanget super æthera mentes.
 Hic famæ spatium. utilitas comitatur honores,
 Et facit ex humili in celsas perrumpere gazas.
 Tu Koini confide Deo, diffide potenti
 Dexteræ, & antiquum gladiis absterge pudorem,
 Fauſtaque præclaris ſubſcribant numina votis.
 Nec ſi prima ſuis careant ſucceſſibus arma,
 Auspiciis diffide novis. Victoria Belgas
 Certa manet, ſuavesque ferent exordia fructus
 Aſpera, & in partis requieſcet gloria lauris.
 Sic magno Dux ore ſonat, momentaque rerum
 Ordine dinumerat, Superûmque expoſcit amores,
 Et ſtragem immiſſam, & primos avertere caſus.
 Tendunt vela Noti, fugimusque per æquora curſu,
 Haud aliter quam ſi rapidas ruat acta per auras
 Cerva, cui teneris herent immiſſa lacertis
 Tela, nec abſtergit furibunda volatile ferrum.
 Spumantes ſolvuntur aquæ, barathrumque ſub imum
 Volvimur, atque iterum Stygiis emergimus undis
 Excelsis vicini auris; ſic Tartara tentant
 Carbafa, & invitis rumpunt ad ſydera ſtagnis.
 Felix illa dies, quo numina, fama, profundum,
 Quo tellus, quo cuncta favent: nihil officit unda
 Seſſior, aut belli invertunt elementa labores.
 Sic dextris fati victorem cuncta ſequuntur,
 Præmia ſi cœlo veniunt, ſi ſceptra tenenda
 Bellatore Deo. rabiem ſi ſiſtimus hoſti.

Iamque altas ſulcamus aquas, precibusque Deorum
 Tempa fatigamus; priſcos expunge pudores,
 Rector ait, prohibeque minas. Vindicta paretur
 Ocyus, impietas ſiquid mereatur Iberi
 Efferat, ſi pœnas pro crimine fata rependant.

Proſpi-

Prospicit, ac Minæ faciem, celsosque penates
 Miratur medio fluctu. Nemorosa sodales
 Quæ tellus, inquit? quæ celsa cacumina montis
 Exsurgunt? non ante diem sua munera reddunt
 Numina, præclarisque solent decorare trophæis
 Intempestivos aditus. quas cernimus arces?
 Quave insperata subitò tellure potimur?
 Forte quod immanem Superi renovare ruinam
 Sævi agitent, miserosque atro calcare barathro
 Sustineant Batavos; gelidus formidine sanguis
 Dirigit, ceciditque animo. rursumque favores,
 Immotosque Deos tacito sub pectore volvens,
 Sic tandem ad focios generosâ voce profatur.

Prospera per vastos agitarunt numina fluctus
 Sidereas hucusque rates, meritumque, fidemque
 Transcendit facinus. longis ambagibus olim
 Erratum spumosa vagi per murmura ponti;
 Nunc solo impulsu Divûm, ventoque secundo
 Tangimus invictam, quam coràm cernimus, arcem.
 Singula felici spirarunt omina cursu:
 Hæc modò quæ restant sortis Mars fata secunda,
 Et patulas ostende vias. Si præmia Mavors,
 Si laudes Gradive placent, hanc suscipe curam,
 Nostraque prævaleat Marranis dextera turmis,
 Præcipitique ruat merito sub inania lapsu
 Mina ferox. Mediis abrumpens verba loquelis
 Mars pater, ac gremio belli complexus alumnum,
 Gnate, ait, æternum decus, ac generosa parentis
 Progenies, Batavus te bellatore tyrannum,
 Ac formidatos valuit contemnere Mauros,
 Dum celsas invadis opes, dum fascibus urbes
 Subjicis invictas, tumidis dum fluctibus alnos
 Mergis, & Hispano placas in sanguine dextras,
 Inque cruentatis exultas fluctibus ultor,
 Et rubris dominaris aquis. Nassavia metam

Si lauri fines novit, sat pristina famam
 Acta fatigarunt; sensit victoris honores
 Ignotus notusque orbis; qua linea mundum
 Dividit, Hesperii convellis regna Philippi;
 Communesque tibi terras, commune profundum
 Credis, & imperio spatiosum subjicis orbem.
 Mundi meta tibi nescit præfigere metam,
 Dum tua trans geminos decurrit gloria mundos,
 Et vivi Mavortis honor; plus cogitat ultra,
 Et segnem nescit requiem Nassavica virtus.
 Vincere, vel succumbere vult, manesque parentum
 Ulcisci. remanet voti insatiabilis ardor,
 Et damnat fortuna moras: ad littora raptim
 Impavido properate gradu, nam mobile Divæ
 Ingenium est, vultus torvos obvertit & iras,
 Ni celerad nutum volucris ruis ocyor Euro.

Extemplò Bellona tubas, animosque calentes
 Inflammat, redit ira viris, rediêre calores
 Pristini, & Hesperias ardet delere catervas
 Battavus, ac fuso famam clarescere Mauro.

Protinus obvertit telluri navita proras
 Belliger, audaci glomerant simul impete turmæ,
 Et voce incendunt coelum, clamore resultant
 Æquora, Tartareique lacus. ruit omnis in arma
 Miles, & in prædam, superandaque moenia Minæ
 Ferrum acuens votis altam jam corripit arcem,
 Ac debellatis insultat moenibus audax.

Protinus Æthiopum pennatis turba sagittis
 Irruit in nostras acies, priscaeque ruinæ
 Hisce ausis exorsa parat, rabiemque cruore
 Exfatiat, Furiasque nigro dum convocat Orco,
 Crudescunt cædes, spumanti sanguine strident
 Arva, cruentata lætatur strage Batavûm
 Barbarus. en capita ex humeris avulsa reclinant,
 Et singultantes deplorant sanguine truncos.

Tu

Tu cladem Letanne tuam, cineresque tuorum
Plorabas miser ante diem, tu vulnera passus
Nescius. obscuris surgit prognatus in antris
Ater edaxque furor, cæcis velut Æolus undis
Si laxet clausos tenebroso carcere fratres,
Obviaque infans convertant vela procellis.
Ast Ductor funesta videns exordia cladis,
Æthiopumque dolos, prostrataque corpora ferro,
Nil, ait, effreni rabie generosa moventur
Pectora, tantillam gladio pensate ruinam
Bellaces animæ, nigramque excindite gentem
Audaces. num musca aquilas contempta vorabit?
Pergite, & ante oculos excelsum scandite montem,
Et Stygio pereat populus prognatus Averno.

Protinus impavidi volitant per saxa, per ignes,
Adversæque cadunt acies, proprioque fatiscunt
Vulnere, & excelsi potiuntur vertice montis.
Hinc cladis vindicta novæ, fusique cruoris
Compensanda lues: onerant tormenta phalanges,
Sulphureosque globos. Hispana per agmina jactant
Desuper, ingenti resonant concussa boatu
Mœnia, & horrendis feriunt impulsibus arcem.
Implentur terrore loci, manesque gemiscunt
Conjugis abruptos immani funere matres.
Hic mæstos ciet ore sonos, dubiasque volutat
Spemque metumque inter trepidanti pectore curas,
Incertus quò fata vehant, num vivere forte,
Num feriat suprema dies: morientibus instat
Battavus, ignitisque adversum insurgit in hostem
Glandibus, ac muros diro dirumpit hiatu.
Exitium tunc Mina timens, clademque fuorum
Deplorans, nudumque latus, ruituraque ferro
Mœnia, in horrendas fertur rupisse querelas.

O Regis diadema mei, sceptrique potentis
Gloria, quas iterum technas, quæ vulnera sentis?

Sicci-

Siccine Battavicæ non immemor ante ruinæ
 Admittes peritura necesse? num dextera lauris
 Dedidicit florere novis? ubi robur & ingens
 Hispani virtus? ubi primi regis honores
 Vincentumque decus? solo terrore Batavos
 Fregimus, ac patulo pridem memorabile mundo
 Pandimus exemplar; quibus hæc victoria culpis
 Castiganda venit? quæ tanti causâ doloris
 Sæve parens? si quid pietas super æthera mentes
 Officiosa movet, si flectant munera Divos,
 Horrendas averte minas, hæc præmia sunt
 Moenia, & æterno fumantes thure penates.
 Cur doleat veneranda Fides? quis præsulis alti,
 Quis poterit Romæ Sanctas dediscere leges?
 Verberat interea ferratam atrocius arcem
 Ductor, & horrendis rumpuntur moenia bombis,
 Nec flammæ nox atra tegit, dextramque potentem
 Umbrosæ fistunt tenebræ. dant vulnera cæco
 Impete projectæ glandes, dubiæque sagittæ
 Haud dubium infligunt letum. Iam gaudia vallo
 Ploranti admiscet Batavi, lunamque laboris
 Et cælum testes poscunt, camposque fragore
 Acrius incendunt: premitur, nec pondera ferri
 Infelix sustentat Iber, vitæque salutem
 Nescit inire fuga, confertaque tela Batavum
 Sulphureosque arcere globos. dant singula fatum
 Hostibus, ac fortes coguntur subdere dextras.
 Sic cum luce simul cessit miseratio gentis,
 Terrisonique arsere soni, latèque per agros
 Vox horrenda boat. Barcæ lassatur avaræ
 Indefessa manus, nec tot satis una ruinis.
 Hoc Phoebus jam manè excelsa cacumina mentis
 Adspiciens, totamque cadavera lapsa per arcem,
 Sic Batavis commotus ait: Sat Martia pubes
 Vindictæ, sat prima lues pensata dolore.

Hic

Hic justī sit meta mali; transcribat Iberus
 Moenia, & Hispanus tandem succumbat honori
 Belgarum, sic Iuno polo miserescit ab alto,
 Sicque ego, qui Oceano fessus mox surgo profundo.

Audiit Imperium commoti ductor Olympi,
 Commenti jacet ira mali, jussisque Deorum
 Paret, & infandæ flagrans miserescere turbæ
 Devictam transcribe Minam, civesque subactos,
 Duxait, aut diræ renovandæ in prælia dextræ.

Percipit Hesperix Ductor furibunda Batavum
 Pectora, bellacesque viros, Minæque resurgens
 Excidio ferrum, ferventiaque agmina campis;
 Quæ miserum me fata premunt, quibus angor ab armis,
 Astur ait? jam dudum instantem avertere cladem
 Obnixus, graviora luo, ruit undique telum
 Missile, & atroces pariunt tormenta dolores,
 Nil poenis contenta suis, rapiuntque sepulcris
 Avulsos manes, iterumque in corpora ferrum
 Sævit, & extinctis juvat insultare catervis.

Respice plorantes post funera prima ruinam;
 En singultantes truncos, fusoque madentes
 Sanguine convulsas arces; emergere vanum est
 Quò me cunque feram, cecidit fiducia belli,
 Et quondam trepidatus Iber: quò gloria regis,
 Quò recidit virtutis apex? invertite Divi
 Fulmina, vel cæcis involvant fata tenebris
 Noxium, & æternum plectant sine nomine corpus.

His dictis capit arma furor, clademque Batavis
 Intentat furibundus Iber; jamque eminus ignes
 Sulphureos vomit, ac fulgentes vertice cristas
 Belliger attollit, dextrasque in bella paratas.
 Mens Batavum inconcussa manet, celeresque sagittas
 Excipit, haud aliter, quàm si defixa profundo
 Stet rupes, spernatque iratas gurgitis undas
 Ardua, & immisos duro fuget objice fluctus.

Nectulit hoc atrox facinus Battavus inultum
 Armiger, accensas animans in praelia turmas
 Fervet, & Hispanos haud segnis Marte laceffit.
 Crudescit vindicta prior. nova funera funus
 Pensat, & oblitos Phoebi castigat honores.
 Moenia fulminibus quassat, tremuere paludes
 Prægnantes fumo ac flammis: emergit Averno
 Vulcanus, regnumque suum, sedesque profundas
 Invadi sic posse dolet: postquam horridus ore
 Prospicit erecta ex imis cervice cavernis
 Noxia Cantabrici vastari moenia regni,
 Et Phoebus & Batavo invitis, rapit impiger enssem
 Fulmineum, clademque iterat, ferroque cruento
 Irruit, excelsi per propugnacula valli,
 Hispanosque ferit jugulos: inopinaque factus
 Causa necis, fractis instat cervicibus ultor,
 Et coelum gemitu complet, queruloque ululatu.

Hic videas rediisse chaos, resolutaque valla
 Principium obscuri primum contingere vultus,
 Hic lateri instantes acies, incendia, cædes
 Spirantes Batavos. percellit plurimus arcem
 Terror, & invicti recidit fiducia valli.
 Moxque Iber infandæ deplorans fata ruinæ
 Turbato sic ore sonat. Quid sydera coelum
 Iuppiter, offensosque Deos incendis in arcem
 Infaustam, rursusque juvat lacerare Philippi
 Moenia, & Hesperii animam fatiare ruinis?
 Restiti, & immanes studui depellere turmas
 Belgarum, regisque decus, regnumque tueri,
 Incassum. vindicta atro pensata cruore
 Ingruit, ac fato strident graviore penates,
 Sanguineæque domus: Regi hæc præstanda fuerunt,
 Officii tentasse mei: suprema coegit
 Conscia mens recti, nec inultus sceptrum Philippi
 Tentavit Batavus; si quæ tibi commoda surgant

Iuppi-

Iupiter, his nostris fatis, miraberis æther
In lethum superesse fidem, nec tela vereri,
Nec mortem audaces animas. Cur sæva minatur
Interitum Bellona arcis? cur prima labascit
Hesperidæ virtus? cur propugnacula Belgis
Invida proscindis, tetroque invertis hiatu?
Heu quantus sine laude pudor, succumbere fortes,
Et pecudum ritu durum prosternere ferrum?
Ecce cruentatas alius complectitur herbas,
Et moriens mortis post se vestigia linquit,
Extremum hic capit ore Iovem, sed frigore cæli
Carpitur, & vitam pariter, lucemque relinquit.
Iupiter infandos toties miserate labores,
Horrendas inverté minas; si regna patefcunt
Casibus, ac cæcæ faveant ludibria fortis
His dextris, & robur inest, hic gloria divum
Crescat, & ultrices cæli tutetur honores.
Vel tua devictis insultent numina regnis.
Nunc quia fata volunt, duris succumbo Batavis,
Et regnum transcribo meum. Sic pellitur Astur
Moenibus, ac celsi linquit moderamina valli,
Ingentem admiscens gemitum, lacrymansque receptat
Victores Batavos, bellatricesque phalanges.
Vixque obsessa cadunt, victæ invictissima Minæ
Robora, & immensus victorem suspicit Orbis.

FINIS LIBRI DECIMI.

FRANCISCI PLANTE MAVRITIADOS

LIBER XI.

ARGUMENTUM.

Hispanorum propter ereptam Africam ingens dolor. Castigat eum acrius Aleto, aliamque salutis viam afflictis commonstrat. Somnianti Philippo lata omnia obijciuntur. Classem in aquor deducit ingenti mole. Horrescit eam Neptunus, immanemque regni sui iacturam veretur. Peste illa inficitur ac multa lue, cursum nihilominus in Americam dirigit, conspectaque eminus Pernambuco, Bahiam petit, ibique illatum damnum resarcit. Pernambucum illa varia astu repetit, ac profligatur. Alteram mox expeditionem in Americam parant, sed intestinis inter Hispanum & Lusitanum Reges disidiis distinentur. Aliud iterum vastanda, si non vincenda America consilium ineunt, ac fœdus rumpunt. Lege autem talionis se vindicat fortissimus Imperator, ac malum prudentissime avertit.

Subditus imperiis Astur, Brasilia rursus
Alterius convexa poli rectore sub uno
Frenat, & occiduos dolet Africa lapsa
triumphos,
Invida Nassavicis iterum succumbere
sceptris,
Et fasces devicta pati: sua gaudia differt
Fractus Iber, raptumque gemit diadema Philippi,
Nec quibus Hesperii credat moderamina regni
Stat ratio, ruit usque suo collapsa periclo
Impiæ gens, lacerata jacet primæva potestas
Regis, & Occiduo prosternitur Africa ferro.
Clara pruinosis cadit obscurata tenebris

Glo-

Gloria, & invictos terrâque marique Batavos
Ingemit immensi trepidata potentia regni.

Vix Americanas conspexerat Africa puppes,
Iam vultum morientis habet, mentemque subactam;
Nec spatio terræ, nec clauditur objice ponti
Battavus, in quæcunque ruit quâ regna patefcunt
Victor, & infidis audet dominariæ Afris,
Et regnum tentare novum. Victoria præcep
Nascitur, Hispanoque rubent maculata cruore
Moenia, & effuso placantur sanguine Divi.
Conflictum, profugos, captos stupet Afer Iberos,
Obsessamque simul debellatamque fatetur
Vox una invictam Minam, famamque triumph
Laurea prævertit belli. Quo numine tandem,
Quo fato revirescit honos, Batavæque corona
Sortis, & Hispanæ recidunt virtutis honores?
Siccine tam parvo potuere potentia vinci
Robora, & exiguo calcari tempore, quicquid
Horrendum trepidumque fuit? Brasilia diram,
Nuncque iterum infandam persentiet Africa cladem?
Nec solito adspicies vultu Pater alme dolores,
Excidiique modum? nimias averte querelas
Dive Parens, tardosque gradus, oculosque natañtes,
Astur ait; propiorque polo dum corpore surgit,
Talibus orditur summum placare Tonantem.

Iupiter, Hesperii's iterum Battavia damnis
Surgit, & immenso stat formidabilis Orbe
Gens atavis neglecta meis. pars parvula mundi
Sic debellatos deriserit usque Philippos?
Sicque ego qui ferro quondam devicta subegi
Moenia, & invictas subjeci legibus arces,
Nunc fractus graviora luo? regnique ruina,
Et nova Battavicam recreat victoria pubem?
Quali ego paulatim rerum moderator in umbra
Mergor, & infandis servatur Ibera Batavis

Gloria: sic Belgæ arbitrio pascemur inani,
 Et nostris insultet ovans, qua utrumque perennat
 Oceanum, regnis? heu possidet arva cruentis
 Vulneribus superata meis! ideone Philippe
 Tristia cum Batava gessisti prælia gente?
 Et toties flammis arsit mare? qualia dextris
 Dona laceffitis tandem Pater alme rependis?
 Scilicet ut domitis frueretur Battavus Afris,
 Et cæsos rideret avos, victosque penates?
 Proh dolor, ac raptos manes, quo numine tanta
 Accidit impietas? quæve hanc persuasit iniquis
 Barbariem fatis? tumidis qui præfuit undis,
 Qui leges ac iussa dedit, sceptroque potenti
 Latius immensi flexit moderamina mundi,
 Sic inhonorus abit? sic fert miserabile damni
 Supplicium, regnique suis spoliatur habenis?
 Heu cladem, tetramque luem! quàm finibus essem
 Faustior angustis; nocuit diffusa potestas,
 Clarius exiguis fulsisset gloria terris,
 Hesperiumque decus; pridem Brasilia, rursus
 Africa Nassavicis cedit devicta triumphis.
 Vulnere pensatur vulnus, nec meta doloris
 Ex animo subit: Heu quid agam, quove aspera flectam
 Fata modo? fortè emeritæ si nulla senectæ
 Præmia, si pœnas reddant pro munere divi,
 Quo miserum me damna vehent? prosternor Olympi
 Iupiter ante aram, fusisque erumpo querelis;
 Ferali huic succurre malo: si numina Parcæ
 Inflectant, Divûmque ultrix exæstuet ira,
 Pœnarum hoc invertite genus; si plaga paretur
 Innocuis, alia semper prosternè ruina
 Hesperix sobolem: Furix, truculentia Pyrrhi,
 Et Brenni & noceant Senones, salvusque Batavis
 Eripiar flammis, saltemque hac sorte triumphem,
 Aut aliam rebus fessis si noveris artem.

Iuppi-

Iuppiter, auxilio præsens succurre labori;
 Cur lucem mihi fata negant; cur Iuno resistit
 Invida? cur magnum præscindit lethifer annus
 Hesperix dominum? cur regna urbesque vacillant,
 Et migrant veteres primævo jure coloni?
 Siccine Cantabrici recidet spes ultima regni?
 Nomen, honos, dextræque meæ trepidata potestas?
 Rupit adhuc in verba dolor, regemque querentem
 Audiit Alecto, questusque irata Philippi
 Increpat, ac sævo sic ore exorsa profatur:
 Quid miserum laniæ pectus, gemituque laceßis
 Eximiâ virtute Ducem; trepidantia spectâ
 Tempia Deûm, certos metuunt ni sydera gressus,
 Vastandasque domos, celsique palatia cœli.
 Nunc animos dux sume novos, super æthera rumpe
 Diviso saltem imperio, divûm alta potestas
 Vivet, & æthereos tecum miscebit honores:
 Sique futurarum cœlo constantia rerum;
 Si voto fideique meæ confidere fas est,
 Ante Batavorum dux invictissime gentem
 Exscindat furibunda manus; ruat improba pubes
 Imperio subiecta tuo, ploretque Philippi
 Excidium, letique modos: hoc digna parandi
 Gloria, Brasilicis revirescant nomina regnis.
 Classi vela para, raptasque a velle tiaras
 Belgarum, horrescatque tuum Brasilia nomen,
 Iusta que diffusi vigeat vindicta cruoris.
 Singula labentur nutu: famulabitur Orbis
 Victori, justosque duces agnoscet Iberos.
 Obstupuit rex, voce Deæ, cœloque reflectens
 Erigit horrentes tumidus super æthera cristas,
 Et pedibus conculcat humum, votique Tonantis
 Ignarus Batavas audet tentare ruinas.
 Vincitur interea somni gravitate Philippus,
 Brasilicique subit regni labentis imago,

Et lau-

Et lauri promissus honos ; concurrere classem
 Hispanam Batavæ cernit, lateque triumphos
 Pandere, & occiduo dispersa cadavera ponto,
 Convulsasque rates, contusaque robora ferro.
 Hæcque animo dum spectat ovans, ferit acriter aures
 Clamor; in adversos extemplò insurge Batavos
 Cantaber, ingentemque refer mox inde triumphum.
 Eripit è somno corpus, prælagia rerum
 Ponderat, ac tantæ recreat promissio fortis
 Cladibus afflictum; primi rediêre calores
 Pectoribus, mentique vigor, senique colorem
 Delevêre comæ, flagransque excanduit æstus
 In Batavos; hæcque ore minas iratior addit:
 Quis ferat ingenium Belgæ? quis vota, quis artes
 Tartareas? odêre dii prædonis iniqui
 Gloriam, & Hispano decertant numina regno.
 Perfidiam damnare parant; atque alta ministros
 Roma trucidabat scelerum; sic fata Batavos
 Interimunt, vitiisque reos in Tartara mittunt.
 Inveniet jam dextra vias, justique furoris
 Vindictam furibunda manus, penetrabit ad Indos
 Cantaber, ereptasque suis transcribet habenis;
 Moxque suam fugiet Batavus cum viderit umbram,
 Et prisco discent domino parere rebelles
 Cum poenæ gravitate novæ, regnique resumpti
 Dcdecore, heu si quid Superis crudelius esset!
 Mortem ego, sed vitæ nequeo perferre pudorem.
 Quæ regio tandem restet, si subdita Belgis
 Regna iterata cadant, clademque hæc illa sequantur;
 Nunc quid divitiæ valeant, quid fulva metalli
 Copia, turritæque juvent ad sydera puppes,
 Plorabis sensura malum mox Battava pubes.
 Sique incerta volet nostram fortuna ruinam,
 Hæc cervix non una cadet, nec funera victor
 Securus ridebit ovans: miscendus Ibero

Adver-

Adversus cruor, in Stygium incommitatus Avernum
 Non solus deflectet Iber. Proh numina testor,
 Vindictamque meam, si quid coeleste remansit
 Huic sceptro, tu damna lues, tumulosque tuorum
 Aspera cærulei forbebunt ora profundì.

Dixit, & extemplò undisonum deducit in æquor
 Æratas puppes, turmasque accendit in iras,
 Pulveris extollit nimbos, cœlumque volatu
 Serpentum sævit: resonant clamore cavernæ,
 Convulsique poli, classique immittit habenas
 Rector, & occiduas puppes impellit in oras.
 Hic pontus pons unus erat, pressumque carinis
 Lugebat mare. Neptunus caput exerit undis,
 Regna videns, validasque natare in fluctibus arces
 Turrigerasque domos, celsique cacumina montis.
 Horrescit molem Nereus, fortisque futuræ
 Ignarus, vocat æquoreos ad carbasa divos,
 Et rerum miracula stupet, lapsumque veretur
 Ingentem, regnique sui mutabile robur,
 Converti in terram pelagus; moxque ordine sumunt
 Consilium, tantamque ardent avertere cladem,
 Et vastas lacerare rates. Id Phœbus ab alto
 Conspicit; utque focis credit se posse futuris
 Accendi, cœloque suam tentare ruinam
 Crudeles flammæ, irarum percitus cestro
 Sæviit, impuraque infecit peste carinas.
 Has in mortiferas fyrtes, cæcasque charybdes
 Illidit gravis ira Dei, rapit Amphitrite
 Avulsos manes, terretque in imagine sola.
 Te testem Caboverda luis, vos numina ponti
 Invoco, & æternis inscribo vulnera fastis.
 Conspirant iratæ undæ, sævoque labascunt
 Ore duces, spolioque exultat in æquore Nereus,
 Excidio graviora parans; movet ipse Tonantem
 Error, & infani crassa ignorantia cæpti;

Invito Iove Brasilicam prosternere gentem,
 Et superos tentare lares, radiantiaque æthræ
 Limina, & excelso Divûm fastigia regno.
 Coelitus immissa Hispanus nil strage movetur,
 Fortunam, duræque audax præfagia fortis
 Ridet, & indomitæ confusus robore dextræ
 Inceptum pertentat iter. mitescere nescit
 Inflammatus Iber: surgit violentia major,
 Quò gravior funesta lues: vada cærula verrit
 Maurus, & æquoreos despectat in æquore fluctus,
 Iratosque Deos. radiat mucrone corusco
 Dexterâ, & ultrices despumat lingua furores
 Barbarico satianda malo, siccosque recusant
 Vaginæ gladios; sitientia pila cruores
 Battavicos emissa bibunt, superandaque jactant
 Imperia, atque novo lacerandum vulnere mundum,
 Occiduasque plagas: virtute haud sanguine niti
 Fas tibi Maure fuit. quæ tanta licentia cladem
 Brasilicam suavit? veniam si Tartara donent,
 Fata obstant, mentemque domat respectus honesti,
 Et cœlo delapsus amor, facinusque nefandum
 Horrescunt Superi, nec inultum Belga relinquit.
 Scilicet occultum nil lux altissima cœli
 Condit, at in latebris lucet, cæcosque meatus
 Intrat, & abstrusos exponunt numina casus.

Ille Deæ falsus monitis, per saxa, per undas
 Currit, & Arctoos linquit post terga penates,
 Occiduas victurus opes, camposque patenteis,
 Brasilicumque solum. flagrant victoris iniqui
 Pectora funesto Belgas extinguere ferro,
 Inque triumphata lauros suspendere terra.

Heu rerum maleficus amor, sævæque Philippi
 Vindiciæ! quæ tanta animos vesania cepit,
 Occiduum invitis fatis irrumpere in orbem,
 Et Batavas vastare domos, victriciaque arma?

Exi-

Exitium mox urget Iber, terraque p'otiri
 Exultat furibunda cohors, subitamque ruinam
 Absorptosque Duces pelago, laurumque futuram
 Incertam, fortisque vices mutabile fatum
 Prælagire dolet, cæptosque inhibere triumphos.
 Nil fatale malum, nil vis violenta Tyrannos
 Flectit, in Hispano nimium nutrita furore;
 Consilium abruptum placuit; juvat ire per altum
 Puppibus ac celsæ contingere valla Bahiæ,
 Instaurare viros, subito mox inde recurſu
 Inceptas tentare vias, clademque Batavum.
 Extemplò focii fulcant mare, lintea flatu
 Turgeſcunt, curſuque Bahiæ mœnia tangunt,
 Hic novus in cælum rumor, nova gaudia latè
 Sparguntur, terramque procul pelagusque fatigant,
 Funditus everſos Belgas, regique Philippo
 Occiduas rediſſe plagas, ſpretoque Batavos
 Subjectos Domino, veteresque admittere leges.
 At poſtquam telluris ope ſecluſit Iberus
 Omnia, & afflictaſ denunciat æquore puppes,
 Intempeſtivos aditus, noctamque Bahiam
 Adverſo fato, reparandaque robora, Belgas
 Conſpectas ſtupuiſſe rates, mortemque propinquam
 Suppetiis, ſe quiſque probat; furibundus ad arma
 Miles abit, vultuſque truces & pectoris ignem
 Oſtentat, veteresque ardet renovare triumphos.
 Auxilium Senerus deſert, dextraſque faventes
 Plata, nec Heſperiis quiſquam ſe ſubtrahit armis:
 Heic primum afflictiſ audet confidere rebus
 Aſtur, & Occiduum non deſperare ſalutem.
 Interitu ſe paſcit Iber, Batavumque futura
 Strage, nec incerto quiſquam diffidit Olympo.
 Iamque animo exciderat primus dolor, iraque Divum
 Aſpera, funeſtaque lue convulſus Iberus,
 Protinus æthereas deducit in æquora claſſes

Maurus , & ambiguae trepidant sub puppibus undae.
 Quid Tyron aut Sidona, Pharon, metuendaque dicam
 Robora , Grajorumque rates , quid nomina pubis
 Argolicæ , invictosque duces ? hæc viribus ætas
 Transcendit , seseque minorem fassa vetustas ,
 Exuperantque fidem proræ , dum singula vates
 Extendunt , classemque canunt sine classe potentem ,
 Et factum infectum resonant, verisque susurros
 Adspergunt fictos, animoque & voce triumphant.
 Hæc mea dissimili currunt præconia laude ,
 Quodque cano , haud fictum feri censete nepotes.
 Egreditur Rodorigus ovans , centumque superbit
 Puppibus , Oceanusque pater virtute labascit
 Hostili ; Barboza ducem comitatur euntem ,
 Nunc Brito , nunc Paiva insequitur , Dandrade potentis
 Dux alter Classis ; faciemque è gurgite Nereus
 Tollit, & Hesperias certat prodire carinas ,
 Quæis summum Davega caput ; comitemque Pimenta ,
 Innumerosque viros quos fama obscura recondit
 Miratur , celsasque horrendo robore puppes.
 Illa Philippæo Bernhardi , hæc nomine terret,
 Hæc Petri , hæc Marci , fama mox altera Rochi ,
 Francisci , hæc turget Mariæ , hæc virtute Iacobi.
 Quis vanos referat titulos , quis vota superbæ
 Gentis , & aptatos Batavis cervicibus enses ,
 Horrendasque neces ? placat crudele tyranni
 Edictum pectus ; profert suffragia diris
 Vix Erebi placitura Diis ; excindere ferro,
 Et Stygias inferre rotas, atque addere lucis
 Tartareis animas , & nomina demere mundo ,
 Laus erat. Arctoæ sensere pericula gentes.
 Heu pavor , indomitusque calor , quam pectora questus
 Rupit , & invicti trepidata potentia regni !
 Quilibet amissas deplorat sanguine partas .
 Divitias , regni que decus ; metuitque futurum

Exi-

Exitium, clademque novo perſentit in Orbe,
 Atque amat incertas aliis concedere gazas,
 Ac damnum ſarcire ſuum. Mox tangit Iberus
 Littora, & armatam exponit tellure catervam.
 Illa almos populatur agros, vaſtatque colonos,
 Et ſcelere exſatiat mentem: Allagoa laborum
 Teſtis erit, damnoque ſuo perterrita planget.
 Moxque ubi fidereas coram Manſveldius arces
 Spectat, & ad littus toto contendere curſu;
 Præſcriptæ dat terga fugæ, ſubitoque recurſu
 Olindam petit, ac viſum denunciat hoſtem.
 Mauritius dum fata videt, fraudesque latentes,
 Hos fictos pro more dolos, nihil arte movetur
 Heſperia, techniſque ſuis capiuntur inertes,
 Deviſta falſa ſpecie; repetitque carinas
 Ocius; Inſurgunt ventis jam vela ſecundis,
 Et placidum maris æquor arant, curſuque faventi
 Moenia proſpiciunt pulcræ trepidare Parybæ.
 Huc ſocios, huc arma vocant, Batavûmque catervas
 Alliciunt, veteresque parant in funere caſus:
 Hicque iterum ſua damna vident, deluditur arte
 Inconſultus Iber; lecto munimina firmat
 Milite Naſſavius. Coram turgentia ſpectant
 Carbafâ, fidereasque rates, inviſtaque bello
 Pectora: quid vanis ajunt convellimur auſis,
 Quid juſtum tardamus iter? da navita curſum
 Puppibus, ac fixam contingant carbafâ metam:
 Hic clades Battave tuas, & buſta tuorum
 Spectabis; veteres jam nunc ulciſcimus iras.
 Hic cruor Oceanum, puppesque & littora tingat,
 Dextraque ſpumanti mergatur ſanguinis unda.
 His dictis dant vela Notis, rectaque Reciffum
 Aſcendunt turmæ. Furiis agitantur Iberi,
 Bella canunt, trepidatque novus discrimine mundus;
 Haud aliter ruit in Batavos furibunus & amens

Quàm leo cui crescunt ungues, dentesque minaces,
 Cum fuit imbellis collum lacerare juvenci.
 Ast nimia eventu rabies caret. impia nunquam
 Spes lætata diu, clades inferre parabat
 Astur, & infernis hostem damnare tenebris,
 Ipse suo cecidit gladio: victoribus ipse
 Præda fuit, patiturque suæ ludibria gentis.
 Sic quoque Romæ suam sensit vastata ruinam;
 Sic dolet alternos invisa superbia casus;
 Sic rerum fatigue vices, sic numina poscunt.
 Ordior immixtas acies, revolutaque tela
 Dicere, & Hesperias everfas funditus arces.
 Da veniam Bellona: tuas depromere laudes,
 Egregiosque duces Musæ inchoat; adde furorem
 Mentibus, atque ista pandant tua gesta poetæ,
 Queis fuit auspiciis Batavum victoria felix.
 Viderat excellas imo de gurgite puppes
 Surgentes Ductor, latèque nigrescere pontum,
 Regna vehi, propiusque novi munimina mundi
 Sidereas spirare domos, Maurosque superbo
 Impete, Nassavicos ausos tentare penates.
 Incenso sic ore sonat: Neptunia proles
 Et dextræ gens chara meæ, nunc illa refulsit
 Exoptata dies, qua quid vitæque necisque
 Contemptrix virtus valeat, persentiet hostis;
 Temnimur exiles umbræ; stat mole superbus
 Cantaber, & modicam ridet sine robore classem.
 Nunc quid parva manus, pressique audacia Belgæ,
 Quid valeant confisa Deo generosa Batavum
 Pectora, monstrabo. magni ruet alta potestas
 Regis, & Hesperia surget Battavia clade.
 Ignibus incendam pinos, totoque flagrabunt
 Oceano; dabit ipsa sibi dispendia moles,
 Et propria virtute reas damnabimus arces.
 Hic locus, hæc statio Batavis visura triumphis.

Pergi-

Pergite, victoresque Deos in bella vocate.
 Rumpite terribiles acies, clementia Divûm
 Intrepidas facit esse manus: transacta parentum
 Tempora dissimiles nequeunt tolerare labores.
 Heemskercki manes, moveatque his Heinius undis
 Victor, & eximiis virtutem extendite factis.
 Odi ego degeneres animos, odere parentes
 Indignam proavis sobolem: si fata recusent
 Præmia, sufficient partæ post funera lauri,
 Et mihi pro patriæ mortem oppetiisse salute
 Laurus erit, tantisque animam servasse periclis:
 Qui premit audaci nostra hæc vestigia cursu,
 Protinus obrizo victor radiabit in auro,
 Qui minus, huic licet caput à cervice revellet.

Dixit, & hostili properabat in agmina cursu
 Lofius, adversasque rates dirumpit hiatu
 Ingenti, laceratque latus vastantis Iberi
 Arduus, ac flammæ inter gladiosque furebat
 Barbarico Bellona sono, stupefactaque ponti
 Numina, & obscurus concussus inhorruit æther.
 Scinditur attoniti trepidata potentia Mauri,
 Sulphureis perfossa globis. Dux mixtus Iberis
 Lancinat Hesperias acies, tormenta que crebris
 Ictibus, horroni solvuntur in aëre nimbi,
 Tela volant, tumidasque animas furibunda boatu
 Horrendo avellunt, miserandaque funera cæco
 Sparguntur pelago; sequitur vindicta nocentes,
 Ac bustis insultat ovans, fusoque cruore
 Cinguntur puppes, calidosque à sanguine fluctus
 Miratur Nereus. lacerata cadavera ponto
 Ludibrium fiunt, rabiesque accensa furores
 Asperat, ac cellas regum cupit esse carinas
 Inferno spolium. gaudent ad funera Nymphæ,
 Oceanusque pater. surgit violentius hostis,
 Nil motus gravitate mali, rabidoque recurso

Vulne-

Vulnerat, & junctis crudeſcunt bella carinis:
 Sic Ductor Battavus ait: generoſa Philippi
 Progenies, quæ ſæpè tuos ſine vulnere lapſus
 Senſiſti, quæ cauſa mali? quis funeris auctor?
 Dedecori data terga fugæ, contemtaque Regis
 Gloria, & Hesperix trepidata potentia gentis?
 Nunc tua compenſas olim neglecta trophæa,
 Et lauros Hiſpane meis avellis habenis?
 Non ita veſanæ reddentur præmia menti.
 Hos niſi vitales rumpas è pectore motus,
 Et mecum ingenti recidat proſtrata ruina
 Martia gens, maleſana tuos plorabis honores,
 Avulſumque à Rege decus: dum ſpiritus artus
 Hos reget, æterno patriæ devinctus amore,
 Aut vincam, aut claro ſuccumbam funere victus.

Dixit, & horrendi resonant ſuper æthera bombi,
 Hesperiumque latus feriunt, tabulaſque, forosque,
 Antennaſque cruor tingit; ruit illè deorſum
 Exanimis, lapſuque rubras diverberat undas,
 Præda mari, ruſſumque alibi torretur ab igne
 Cantaber, Occiduo deplorans funera mundo.
 Aſperior mox pugna reſcit, ſtimulatque furore
 Pectora ſævus Iber, primamque avertere cladem
 Ardet, & effuſo dextram ſatiare cruore:
 Utque ſeras inter flammæ ſe conjicit hoſtis
 Impiger, ac Batavas geſtit ſuperare carinas,
 Formidat concuſſa ratis, fundumque profundi
 Horret, & immanem ſub triſtia Tartara lapſum.
 Sæpè ſenex Nereus, cladiſ præſaga futuræ
 Vota dabat: Proh fata Deûm quàm perforat aſtu
 Ferrea glans latus infelix, vinci quæ negatum
 Vincit, & exanimis adſcribit pectora buſtis
 Inſicti Herois! Loſi niſi Iuppiter auſus,
 Impavidumque ducem ſuperis ſervaffet habenis,
 Territa perpetuis hærerent pectora curis;

Nunc

Nunc tua post obitum cœlo victoria fulget,
Et parit æternas illic post funera lauros.

Moxque cruentatos acuens in corpora dentes,
Tela vibrat, ceptoque malo grassatur in hostem
Inconsulta manus, sparsisque per æthera bombis
Insonat, ac totum quassatur fulmine cœlum.
Protinus avulsos manes Huigenius implet
Ductor, & in tumidos insurgit fortis Iberos;
Crudescunt funeste acies, tormentaque flammæ
Sæva vomunt, rumpuntque excelsas Asturis arces,
Oceanoque patri nomen vitamque relinquunt.

Heu fusos Hispane viros! quid surgis in hostem
Bellacem, dextrisque foves tua damna malignis?
Quid juvat invitis Batavos invadere fatis,
Et superos tentare lares, Divûmque penates?
Sic decet horrendo recidant sub inania lapsu,
Quos furor in tantum rapuit sine mente piaculum.
Vulneribus maculata rubent vaga littora ponti.
Insequitur vindicta imas sub gurgitis undas
Dum refluos sorbent fluctus, nec parcit iniquis
Ira Dei. Si quæ Occiduae mihi gratia Nymphæ,
Si fandi decus, & vestras volvantur ad aures
Carmina, quærenti blando succurrite vultu.
Dicite Nereides, namque hæc mea quæstio vobis
Cognita, quam turpi prostratus vulnere Maurus?
Quo lapsu maculata domus, regnique profundi
Cæruleæ sedes, quibus arserit Amphitrite
Stragibus, ereptisque viris, cum territus orbis
Cerneret Hispanas furias, Siculumque Tyrannum
Horrifona properare manu, Batavisque minantem
Interitum, factumque infandum horrescere mundum?
Mergitur Oceano virtus malefana Philippi,
Prædaque Tænariis tumefacta superbia lucis
Nascitur, ac turpem plorat post vulnera lapsum.
Mox dum fata videt fatis laceratus Iberus,

Y

Hic

Hic fractas Aquilone rates , vastasque resolvi
 In nihilum puppes , totoque natantia Ponto
 Corpora , pugnacesque animas, celsumque Tonantem ,
 Æquoreosque Deos Regi nocitura parantes ,
 Singula ferali concurrere numina lapsu ,
 Adversos dudum ventos , adversa Batavûm
 Agmina , nec primos ausus sperare triumphos ,
 Consultæ dat terga fugæ , celerique volatu
 Eripit Hispanas acies , ventoque ferenti
 Littora Brâsiliæ linquit. mox India Mauros
 Excipit, ac fractos portu solatur amico.

Dic mihi fama memor, quam sævo vulnere lapsum
 Riseris occidui devastans robur Iberi.
 Dicite nocturni manes, si forte superstes
 Lingua , quid immensi mereat contemptus Olympi,
 Quid spoliî vefanus amor, regnique cupido
 Invitis fatis : sic disce invadere terras ,
 Sidereasque domos , tantique sit India casus
 Nuncia, & Hispanum doceat victoria Belgæ
 Dissimiles calcare vias. sine numine laurus
 Non datur ; oderunt Superi malefana potentum
 Robora ; cuncta suis cupiunt consistere votis ,
 Ac nutu trepidare. sibi confisa potestas
 Alta nocet, totamque trahit post terga ruinam.
 Non Xerxis , non facta cano memoranda Duilli ,
 Non bellatricis Romæ, aut Carthaginis altæ,
 Priscorumque Ducum ; moveor pugnacis Iberi
 Vefanos proferre dolos , Superisque furorem
 Invisum, quem , fera licèt, mirabitur etas.
 Sustinet Occiduas turpis raptare coronas
 Cantaber , ac Batavam ferro proscindere gentem.
 Huc Iber , huc Astur , huc tota potentia regis
 Confluit, hic veteres ardent fatiare furores ;
 Roboris immensi nervos , puppesque Deosque
 Ostentant, dextraeque in atrocia bella paratas;

Huc

Huc totos montes, huc tota palatia volvunt
Æthereo nocitura polo. postquam horridus ore
Cantaber occiduas Batavûm lacerasset habenas,
Inchoat invitis horrenda piacula fati,
Plectitur infandis Hispana potentia pœnis,
Et stragis sibi causa fuit, justæque ruinæ
Materies malefana suæ. dediscat iniquas
Hispanus tentare vias, confidere vanæ
Mentis opi, fisosque Deo contemnere Belgas,
Mauritio duce. Nassavicam super æthera gentem
Extollunt Superi. Portus victoria Calvi,
Et Minæ vastatus apex faustissima cingunt
Tempora, & æternis inscripta est gloria fastis.
Quodque iterum turrita labent palatia Regis,
Quod vincant Batavi, quod sint devicta Philippi
Robora, & infandos contemnat laurea Mauros,
Curæ summa tuæ est. terrâ subductus, Olympo
Conderis; ac rutilum transcendunt nomina coelum.
Belgica magnanimos Herois spectat honores,
Arctoæque plagæ: revolutaque fama per Indos
Eoos: magni qua panditur area mundi
Cernimus avulsas invitis regibus arces.
Hic doleant invicta tuis subjecta trophæis
Carbasa, turrigereque domus. si vincere laus est,
Laus erit excelsas spreto superare carinas
Robore, & Hispanos in Tartara mittere fastus.
Quàm vellet Te posse frui Germania merens,
Vindice te vinci Ductor; sed gloria major
Occiduis referenda plagis, vastandaque latè
Mœnia, quam patrio surgant encomia regno.
Africa Cantabricum nescit tolerare tyrannum,
Hic lauros suspende tuas, hic nomine dignus
Orbis, & alternos designat fama recessus,
Vincendique modos. constat Brasilia dextrâ
Tuta tuâ, devicta dolet regum alta potestas.

Fortius infandos posthac calcabis Iberos ,
Et consummatas referent tibi carmina laudes.
Te Thomæ , te sancta vocant munimina Pauli ,
Totaque Nassavicis ardent succumbere sceptris.
Si quod Alexandro decus est , si fama Mycenis ,
Si Grajis , tibi major erit , tibi nomina surgent
Mille per immensum , qua se determinat , orbem.
Vicerit extremos alius Garamantas & Indos ,
Et debellatas alieno robore terras
Iactitet. Occiduos alius vastaverit agros.
Vastatrice manu alterius , dicatque triumphos
Esse suos , tu bella sonas præsentia præsens ,
Et tua te virtus propria virtute tuetur ,
Dum ruis infestum victor generosus in hostem.
Vive meis Heros studiis , si carmina quicquam ,
Si votum , aut si quid valeat divina poësis.
Tu mihi Miltiades , Cimon , ac dicere Lyfander ;
Belgica subscribat laudi , titulosque nepotes ,
Seraque post obitum servet stupefacta senectus.
Cæsaream tu Marte domum , tu nomina gentis
Nassavicæ miranda levas : quod nemo parentum ,
Hoc tua magnanimi præstat victoria belli ,
Occiduosque domas axes , regemque tremendum
Subjicis , ac totum surgit tua fama per orbem ,
Claraque Nassavicam tollunt encomia gentem ;
Inq; novo est novus orbis honos , geminumq; triumphis
Illustras solem ; tellus , nunc æquora plaudunt ,
Victaque Cantabricæ plangunt monumenta tiaræ ,
Et decus est Dux summe tuum , quod dedecus orbis
Hispanus dolet. alterius te numina lapsa
Felicem , magnumque creant : tu fydera transis
Marte tuo , cœloque Dii tua fata recondunt ,
Claraque laurigeris fulgent pia bella triumphis
Ætherio Ductore suo. dum gloria cœlo
Surgit , & ingentes reddunt tibi fydera grates ,

Demisso

Demisso te corde domas, tuaque inclyta virtus
Non finit invisos animo te fingere fastus.

Astur ut Occiduo fractas in littore classes
Advertit, Belgasque suis consistere nervis,
Brafilicumque solum domino parere Batavo,
Vastatasque acies, flammisque exusta potentum
Robora, victores victos, inversaque rerum
Fata, nec Hispano Batavos audire tyranno,
Mente furit, partesque amens se vertit in omnes:
Iupiter æternos, inquit, sub corde furores
Sævus ales? iterumque animi dementia flectet
Hesperios malefana Deos? nec gloria surget,
Promissumque decus? cur fractus cedit Iberus?
Cur debellatus contemptis succubat armis?
Cur Batavæ succrescit honos sine robore genti?
Cur deflectit Iber ferro sceptroque verendus?
Cur labat exiguis, totum qui viribus orbem
Subjugat, imperiis? non hanc ego sæve ruinam
Iupiter, aut tantam merui pro crimine cladem.
Si juvat Hesperiiis dextra succurrere turmis
Et faciles præbere vias, tandemque triumphis
Surgere Cantabricam tot post crudelia gentem
Funera, collapsas insigni strage catervas
Instaurabo, meaque iterum virtute reductis
Primævum tentabo malum; ruat illa Batavum
Progenies, damnata manus. nisi numina robur
Invertant, gemitusque meos audire recusent,
Victor ero, trudamque in Tartaranigra rebelles.
Huic ferro Bellona fave: nisi vota secundet
Iupiter, in dextra modus est, Acheronta movebo,
Cunctaque sceptrifero parebunt fata Philippo.

Dixit, & extemplo renovatam in prælia gentem
Excitat, æthereas deducit in æquora puppes,
Incenditque viros, ferroque auroque coruscant
Agmina. collucet vultu fortuna sereno.

Nauticus it clamor cœlo, tonat omnis Olympi
 Machina, concussæ resonant stridore paludes,
 Vastaque terrifico quassatur terra fragore.

Mox postquam nova classis ovat, rapidoque volatu
 Occiduas parat ire plagas, ferroque salutem
 Amissam, Batavosque ardet renovare dolores,
 Cœlitus advertunt Superi malefana parantem
 Consilia, ac diros invito numine lapsus,
 Barbaricosque dolos; hærent in littore puppes,
 Bella sonant, regisque decus, violentaque Belgæ
 Fata, sed Hispanos derident æthera fastus,
 Turritasque domos: scinduntur regna tyranni,
 Exoritur civile malum, divisaque Regis
 Imperia, ingentique pavet discrimine Maurus,
 Nec regno stat tuta suo trepidata potestas,
 Ardua deposito cessant parere Philippo
 Oppida, ductoremque alium, dominumque salutant
 Ioannem prisco regum de stemmate Quartum.

Hic nova tempestas surgit, spretumque Philippum
 Percellit fors atra Ducem: non carbasa tractus
 Cogit in Occiduos, radiantesque ære catervas,
 Singula lapsuro mavult succurrere scepro,
 Et proprias curare domos, regnumque propinquum.

Quam versas Fortuna vices, quam fulgida Parcæ
 Nomina, quàm priscas avellunt numina lauros!
 Cautior antè tuam poteras avertere cladem
 Astur, & insanæ subducere vela procellæ.
 Cur insana aidè gestatis corda tyranni?
 Cur crudele nefas, cur tanta piacula mentes
 Obsedere truces? merfa num puppe fateri
 Errores pro laude foret? num crimina fletus
 Imminuant? si ritè pararent numina poenas,
 Altius afflictis hæreret virga medullis,
 Et premerent graviora magis delicta nocentes.
 Heu vitiis quàm cæcus amor! tonat impia bella

Maurus

Maurus, & occiduas Batavûm ruit acer in oras
 Adversis Superûm fatis, Stygiasque sorores
 Audit, & occisis pascit fera pectora Belgis.
 Sed ruit in damnum præceps secura libido,
 Et factò fit sponte nocens, prosternitur Astur,
 Avulsumque dolet sceptrum, regemque veretur
 Participem regni Ianum, metuitque dolore
 Ingenti, miseramque premit fors aspera mentem.

Hic iterum Castella dole, culpamque tuorum
 Incuset furibundus amor, tetrumque nocendi
 Crimen, & in Superos, si quæ est injuria, questus
 Ore vomat. Proh fata Deûm, quam iusta Deorum
 Iudicia, & quantos pariunt contempta dolores.
 Discas ante tuam rem contemplarier Astur,
 Acceptâ nec clade queri, transactaque ferò
 Fata Deûm plorare miser, dum fila Sorores
 Abrumpunt, regnoque tuo spoliaris avitò.
 Nuper in occiduo passus ludibria mundo,
 Nunc merito graviora luis. nascuntur in ipso
 Bella finu, nomenque tuum, regnumque negatur,
 Seque Philippiæ ausa est opponere sceptris
 Regalis fortuna domus. Dux inclyte, fama,
 Nomen, honos, regnumque tuum per secula constant,
 Celsaque devictos jactet Bragança Philippos.
 Hoc tibi portendo votum lane ordine Quarte,
 Sed primo cui vota paro, frondemque Minervæ
 Offero, & æternæ prædico præmia famæ.
 Sic binos vis una regat, clypeoque tegatur
 Belga tuo, rursusque tuas confirmet habenas,
 Unaque pro gemino defudet gloria regno.

Mox laqueis postquam strictas conspexit Iberus
 Hispanas acies, totisque minantia terris
 Fata luem, regnique vices, sub pectore stridet
 Ira fremens, nimioque pudet fervore petitæ
 Americæ, subeuntque ingentia tædia cæpti.

Con-

Concilium vocat extemplò, patresque verendos
 Consultare jubet. magnâ sedere coronâ
 Spectati Proceres, quæ sint discrimina regni,
 Quod rerumfatigue malum, timido ore profantur.
 Occultat Rex ipse metum, vultuque sereno
 Spem simulat, duramque immani vulnere fortem
 Ore negat, fessosque animos hoc erigit ausu.

Invida fatorum series, Divisque negatum
 Hesperios violare duces, magnique Philippi
 Regia perpetuo contundere sceptrâ periclo.
 Irarum, poenæque satis, nec prospera semper
 Fata, nec adversis urget fortuna procellis.
 Mox inversa redit placido fors aspera vultu,
 Et lauros quæ damna refert. si prima Batavum
 Gloria, Cantabrico ridebunt altera bello
 Tempora, & Occiduo furget victoria mundo.

Hinc alius cordato animo, cui maxima votis
 Consiliisque fides, circum graviora revolvens
 Lumina, & attentum spectans in verba Philippum,
 Sic ait: Inviclum terræ decus, inclyta ferro
 Dexterâ, & illustris clari prudentia mundi,
 Nunc agitur res summa ducis, nunc gloria si quid
 Prisca valet, si fama viros, si Regis honores
 Excelsos moveant animos, si corda fatiget
 Divorum fatale malum, succurrite quisque
 Auxilio, tantisque dolis advertite mentem:
 Nunquam adeò, Rex summe, tuas constrinxit in arctum
 Res Batavus, gravibusque malis trepidavit Iberi
 Impavidi concussus honos. mihi maxime Ductor
 Crede seni, seclum (nisi me sententia fallit)
 Labitur; Hesperios à quo Battavia Reges
 Horret, & immenso servatur robore Belga.
 Nunquam adeo contusus Iber, violataque regni
 Gloria, nunc saltem si quæ est tibi cura tuorum,
 His felix erumpe dolis; tuque ampla virorum

Confi-

Confilioque potens virtus, præbete ruenti
 Fulcra Duci, monstrate viam, lapsumque resurgat
 Hesperium decus, ac tutis vestigia terris
 Figat. ad Occiduas trepidat Cantabria clades,
 Nassaviumque Ducem. satis his vexatus habenis
 Astur, & ingenti recidit victoria lapsu.
 His claustris evade precor. si nostra placebunt
 Vota Deo, vocique meæ si gratia fandi,
 Hæc quoque, dum Superis, placeant oracula Regi.

Haftenus adversis per mille incommoda fatis
 Volvimur afflicti, detrectant numina Belgæ
 Excidium, Batavamque hac clade exscindere gentem.
 Cernitis infestis immissa pericula ventis,
 Iratosque Deos, fractasque ex ordine classes
 Austriacas, cæsosque viros, regnumque periclis
 Gliscere, & infandam minitanti fata ruinam.
 Non isthac rimanda via est, ea semita Divis
 Displicet, occursant animo propiora malorum
 Pondera, & ingentes certo discrimine casus.
 Si juvat Occiduo Batavos propellere mundo,
 Et prisca habitare domos, mihi maxime regum
 Adde fidem, tua fatidico dum prælia pando
 Carmine, & augurio tantis succurro periclis.

Pectora quid moveat Batavum, qua sorte vehantur,
 Quid referam, consulta cohors? gerit illa tenaces
 Stirps animos, opibusque inhiat furiosa cupido.
 Inter opes mendicat opes. hoc suggerit æther,
 Brasilicum vastare solum, gladioque minaci
 Irruere, atque arvis dulces comburere cannas.
 Mulciber ipse rogos præfert, Austrosque furentes
 Æolus, impositis crescent incendia flammis.
 Sic lucri vesanus amor, sic vota labascent
 Battava, & Occidua pelles regione colonos.
 Hoc si fata negant (nec enim despero salutem)
 Mentem aliis pertentat honos, graviora ministrant

Z

Conf-

Confilia excelsæ mentes. violenta Philippi
 Bella nocent, moderata juvant: insurgat in hostem
 Bellacem, sed parva manus; devastet Iberus
 Arva minutatim, pulsosque ad Tartara Belgas
 Mittat, & auriferos excindat belliger agros,
 Saccareasque domos. Has si procedere technas
 Belga videt, vel sponte cadet, vel fessus Ibero
 Cedet, & ante diem occiduis valedicet habenis.

Consilium mox quisque probat, senioque verendo
 Ore decus, totoque exsolvit pectore grates.

Iamque cruentatas horrens in prælia mentes
 Fama, nec Austriacos patiens tolerare furores,
 Æthereum metitur iter, celerique volatu
 Vergit in Occiduos, per mille pericula, tractus,
 Mauritio decreta canens, sævique Tyranni
 Insanam mentis rabiem. capit ille Philippi
 Infidias, variasque hoc uno crimine culpas
 Percipit. Austriacis quam sit constantia rara,
 Quam simulata fides. Finem facit illa loquendi,
 Per campos grassatur Iber, foedatque cruore
 Obsceno incautos Belgas, ac foedera rumpens,
 Turpia fulminei spargit discrimina belli,
 Excinditque duces diri truculentia Mauri,
 Et pingues devastat agros gens perfida, foedus
 Exuit, ac iusti confundit foedera pacti.

Protinus Heroem accendit vindicta cruoris
 Innocui, similique parat certamine vindex
 Infidos vexare viros, Maurumque sub Umbras
 Mittere, & infandis sceleratam abrumpere vitam,
 Ac turpes arcere dolos, vafrumque parandi
 Consilium: nova bella movet, ferrumque retractat
 Ductor, & Hesperias Batavos deducit in oras,
 Compensatque malum: ferro vexatur & igne
 Cantaber. ingenti flagrant discrimine campi,
 Incensique lares, totum caligine coelum

Invol-

Involvunt fumosi ignes, æstumque ministrat
 Austris flamma furens; calidis fornacibus orbis
 Æstuat, ac rapidis stridet fervoribus æther.

Dic Bahia memor, quantis clamoribus æquor,
 Terra, polus, quantisque ulularit fletibus Orcus,
 Vulcano ringente domos, redolentiaque arva
 Flammigeris cingente rogis? vorat obvia quæque
 Ardoredax, celerique invertit clade superbos
 Marte viros; Stygiis exæquat Mulciber agris
 Saccarias diro igne molas; ruit illa Bahiæ
 Gloria, & excisæ renovantur prælia Trojæ.

Dic clades Seregippa tuas; queis funditus igne
 Excidium perpeffa gemis, tantumque relinquis
 Turpia commeritæ post te vestigia poenæ,
 Et campos ubi fama fuit, celsique Philippi
 Gloria, & Hesperia trepidata potentia dextræ:
 Iam terris æquata ruis, dignamque furore
 Vindictam combusta dolens; Nassavia fraudes
 Horret Iber; meritisque tuis hæc præmia reddit:
 Te testem Banjola voco, te nostra fugacem
 Agmina, tu nostras sensisti irrumpere turmas,
 Incensas vastare domos, rapidaque ruina
 Fortia Cantabrici proscindere moenia regni.

Progreditur furibundus Iber, camposque patentes,
 Et dulces devastat agros, nescitque tyrannis
 Inceptas tardare vias, crepitantia flammis
 Arva dolent, querulumq; sonat super æthera murmur.
 Non equidem belli studio, iusta que parandi
 Lege, nec armatas ducens in prælia dextras
 Damna parat truculenta manus: fors aspera Belgæ est
 Paucorum prognata dolo, factique nefando
 Crimine, nec ferro campi vastantur aperto.
 Mauritius dum facta notat, Maurumque furores,
 Aspera flammiferæ surgunt discrimina poenæ.
 Huic soli fit cura rei, dumque illa recurrunt

Crimina, commeritæque lues, Batavûmque ruinæ,
Altera funesto rediit medicina periclo.

Vifum alias urgere vias, tutosque penates
Reddere, & externo lauros suspendere mundo.

Convocat extemplò sacrato ex ordine vates
Pontificum, causamque rei, mentemque resolvens,
Os aperit, magnisque implet sermonibus aures.

Salve, inquit, veneranda cohors, salveto senectus
Cana Patrum. miseranda mali discrimina vobis
Suggero, crudeles dudum plorastis habenas
Hesperia, mecumque dolos, flammæque furentes
Sensistis, rapidoque labascere regna tumultu.
Sors vestra est arcere malum, quantumque valetis
Hanc mecum reparare luem, vestræque saluti
Consulere: infestis diffundite verba querelis,
Injustos plorate dolos, vastataque ferro
Rura, nec Hesperios ultra potuisse dolores
Infandum perferre malum. Bahia dolores
Audiat, ac Proceres miseræ præfaga ruinæ
Corda gerant; non ore meo, sed sponte profati
Quisque sua, querulos è pectore promite questus.
Sic vigeat tranquilla salus, tantique pericli
Convictos foveant animos, disruptaque pacti
Fœdera, & antiqui florescant tempora belli.

Extemplò sacrata cohors mandata capeffit
Ductoris, votisque favet, Proceresque salutat
Hesperios, causamque suam, justosque dolores
Asperat, & flavæ deplorat damna Segestæ.

Audiit immensas patrum Bahia querelas,
Triste nefas, rapidosque æstus, bellumque cruentum
Austriacos turbare viros, turbantur iisdem
Cladibus, afflictæque juvat succurrere genti.
Mittitur extemplò rebus medicina parandis,
Auxiliumque ferunt hostes, pignusque requirunt
Obsidis, & tristem satagunt invertere sortem.

Nassa-

Nassavio consulta placent, animoque triumphos
 Concipit, atque alias armato milite terras
 Visere, & Hesperias alibi convellere turmas.
 Nec mora, pro votis Mauri dimittitur obses,
 Rursum alium transmittit Iber, flammæque quiescunt
 Ocyus, ac lætis cessant incendia campis,
 Excidiique dolor. mox in nova foedera jurat
 Cum Batavo lassatus Iber, nec prælia primis
 Exercet nocitura malis. Hæc pactio Codde
 Te Ductore viget: prudens Legatus in oras
 Mitteris Austriacas, lapsæ medicina salutis,
 Et Batavûm sperata salus. comitatur euntem
 Confilio te Numno potens; quis quæso furori
 Hispano, cautisque dolis Oliferde resistat,
 Ni tua terrificos fallat prudentia Mauros,
 Et lauros avellat ovans. Coràm ipse labores
 Spectavi, precibusque Deum super æthera fufis
 Sæpe fatigavi, propensaque numina supplex
 Persensi. Vos me dicentem sacra Latino
 Ore, Deûmque aras votis onerasse benignis
 Audistis, motumque Deum favisse roganti.
 Vivite magnanimi proceres, ac Nestoris annos
 Exæquate senis, vestros si fortè labores
 Dî cupiant alibi, ac lapsis succurrere rebus,

FINIS LIBRI UNDECIMI.

Z 3

FRAN-

FRANCISCI PLANTÆ MAVRITIADOS

LIBER XII.

ARGUMENTUM.

E *Lasis Hispanorum artibus in Africam invehitur Imperator. Classique validissimis Heroibus praefectis munitissimam civitatem Loandam aggreditur. Fortiter ad eam dimicatur. Ocyus illa sub Batavorum ditionem redigitur. Mox Insulam divi Thomæ Mauritius adoritur, subigit, ac triumphat. Hinc Americanum imperium latius extendit, faustissimisque in Maragnon auspiciis navigat & evincit. Excellentiss. Heroi Patriam cogitanti faustissima quaque precatur Auctor.*

D *Uctor ut Hispanas artes, vafrumq; parandi
Confilium infandi solers risisset Iberi,
Confossumque Ducem, ac versum in
sua viscera ferrum,
Regnum aliud; quo numen agit, quo
Martius ardor*

*Bellacem incendit dextram, meditatus, in Afros
Impiger insurgit; collectis undique turmis,
Instruit armatas acies, populumque ferocem
Incitat, ac duri condit præludia belli.
Sicque ait. Audaces animæ, justumque Philippi
Opprobrium, spes una meæ præclara coronæ,
Aspera ceu fumus fugit sors versa sub auras,
Et melior redit aura mihi. nocuere potentes
Hispani, cautique dolis, astuque Pelasgo
Iam dudum Batavam satagunt excindere gentem,*

Iupi-

Iupiter inverfos astus, revolutaque tela
Flexit in autores, ac strictos reppulit enses
Iustitiæ matrona meæ: jacet altera classis,
Austriacæ virtutis honos, lacrymisque ruinam
Civilem plorat, tristemque hoc funere cladem.
Extremæ nunc fortis apex, sacrumque senatus
Consilium turbatur iners: studuere nefandi
Basilicum vastare solum, camposque feraces,
Sulphure, & horrificis cannas exurere flammis;
Has iterum inverti technas, bellumque cruentum.
Arte stiti, caveatque astum si possit Iberus.
Discordes Marrane aquilas, divisaque plora
Imperia, ante unum, nunc dissociabile corpus
Fletibus humecta, ac tandem meliora sequutus,
Discito crudelem ferro deponere mentem.
Nunc juvat Hispani vindictam sumere regni,
Castigare dolos, adversaque fata ruinis
Compensare novis, vitæque arcere pudorem.
Proruo Basilicos linquens post terga penates,
Terrarum in tractus alios, longèque repostas
Mens gestit penetrare plagas, dextraque potenti
Cedere Cantabricam post tot discrimina gentem.
Africa ab infandis dudum vexata tyrannis
Ingemuit, fundensque graves super æthera questus,
Nassaviam imploravit opem; jam copia regni
Fit facilè, ingentisque labascere sceptrâ Philippi
A nutu tentantis erit: quis vincere Maurum
Nesciat imbellem? Divûm quis temnere sortem
Audeat, ac rapidos animi tardare calores?
Fregimus immanes, terrisque æquavimus hostes,
Lusimus hostiles astus; detrusimus orbe
Occiduo, æratisque manu spoliavimus armis
Invictos virtute viros; nunc altera fulgent
Munera, donandusque novis legionibus Afer.
Erige magnanimas Mavors in prælia dextras,

Acvo-

Ac votis Bellona fave; vocat æquor in altum
 Carbasa, & in mediis Nereus interstrepit undis.
 Rumpe omnes Battave moras. Victoria ductor
 Hinderfon te pone manet; superanda Loandæ
 Moenia, & Hesperii fors immutanda Tyranni.

Siccine serviles imponere posse catervas
 Cantaber exoptas? Sic gens inimica Batavis
 Exitium vesana paras? nec fortis iniquæ
 Damna inferis? leges aliis decretaque figis
 Aspera, nec simili poteris ratione domari
 Perfida? Battavicæ num libertatis honores
 Indemnis sistes? nec te tua bella reducent
 In melius? domitaque tyrannide parcere nescis
 Innocuis? spes nulla fugæ jam restat Ibere,
 Adversis cogere minis, dextraque revinctus
 Et læva, Batavas olim lacrymabere lauros.
 Ut fera, Brasilici montis quæ liquit aprici
 Excelsos apices, ac cæcis exul in umbris
 Cingitur, ut pavida moritur formidine cervus,
 Sic mea Cantabricam figent venabula gentem.
 Sors mea me nulli docuit servire tyranno.
 Frangere prætumidos fastus, murisque superbam
 Deturbare manum, vinctisque adscribere servis
 Purpureos Hispanæ duces, hæc gloria gentis
 Nassavicæ, dextræque meæ. tibi vota secundet
 Iupiter, & faustis Hinderfon servet habenis.
 Vade per extremos felix bellator Iberos,
 Disjice sanguineas acies, stirpisque nefandæ
 Progeniem. valet una dies imponere priscæ
 Principium cladi, rabidosque arcere furores,
 Et simul externi vindictam sumere mundi.

Ad vocem mox æra crepant: ascendit in altum
 Ductor, & incertis committit lintea ventis.
 Iam pelagum tenuere rates, dubiumque secabant
 Ingenti stridore fretum; mox pronior aura

Surgit,

Surgit, & optatam contingunt carbasa metam.
 Africa sydereas, celso de culmine montis,
 Prospiciens puppes, gelidâ formidine mortis
 Tota tremit, causamque mali furibunda requirit:
 Tune iterum infandis audes accendere bellis
 Hesperias Battave domos? confundere luctu
 Regna novo? vestrisque meas adscribere laudes?
 Disce ferox Battave meis discedere terris,
 Infonstemque tua populum vastare ruinâ,
 Vel letum solamen erit, surgentque pericla
 Aspera. lethifero præstat discedere ferro,
 Quàm Batavum perferre jugum. linqenda potestas,
 Sed cum luce simul; radiat mucrone corusco
 Ensis, & in vestram jurat Battave ruinam.
 Sic resonat furibundus Iber, sic voce minatur,
 Accenditque horrore domos, planctuque furores
 Asperat, ac toto nascuntur prælia mundo.
 Æthiopes frons læva manet, per cornua Mauros
 Dextra locant, spumisque madescunt frena caballi.
 Singula lapsuris operas impendere Belgis
 Conjurant, plauduntque viri, rupesque, lacusque,
 Et virtus tumefacta ducum; non Græcia tantam
 Vidisset stragem, Pelopis non inclyta regna.

Moxque Iber impavidas spectans in prælia turmas,
 Et portum petere, & terra subducere puppes,
 Horruit, exanimumque ruit sine sanguine pectus.
 Inconstans belli facies. procedere Belgas
 Despiciens lassatur Iber, veniamne subactus
 Poscat, an intrepidus exspectet militis ausus,
 Incerta sub sorte labat. propiore Batavi
 Agmine se miscent, murisque urbique propinquant
 Belligeri, tumidamque student excindere gentem,
 Et sua Cantabricis exsurgere nomina terris.
 Extemplò tormenta boant, mediamque per urbem
 Tela volant, tegiturque atra caligine cœlum.

Aa

Labi-

Labitur inflicto percussus vulnere miles;
 Purpuream exspirans animam, terrore labascit
 Mox socius, rigidoque peti fastigia ferro
 Horret, & à summo divelli culmine montes.
 Quam genitrix miseranda cadit, puerumque cruentum
 Maternos undare sinus, vivumque sepulcrum
 Adspicit, ac letum patitur formidine leti.
 Quam morti vicina dies! quàm tempora vitæ
 Metitur! quàm mæsta poli convexa tuetur!
 Heu populi quis vultus erat! quæ crimina celsis
 Sparsa polis! quæ flebilibus composita querelis
 Murmura! quæ terræ facies hoc turbine rerum
 Ingenti! pallore genæ tinguntur Iberi,
 Et laceros rodunt artus, nec terminus atræ
 Stat fortis, miseramque sui discriminis ansam
 Prospectant, per rura luem, per tecta timorem
 Horrescunt, certæque vident sua fata ruinæ.

Moxque acies Hispana novis tentata procellis
 Castra movet, Batavisque audens se opponere turmis,
 Saltem aliquid pro rege parat; gens fusca manipulis
 Infinita volat, magnoque horrore cavernas
 Implet, & ingenti cœlum terrore remugit.
 Nunquam adeò stipatus Iber ditione sub una
 Restitit, ac Batavis caput objectasse periclis
 Fama notat. densis umbrantur sydera telis,
 Lætificusque dies; strident illata sagittis
 Vulnera, & immensi pariunt discrimina cæpti.

Qua rabie, dic fama memor, mox Battavus ausus
 Prævertit? brevibus periêre ingentia causis
 Agmina, & imperii tanto quæsitâ cruore
 Ardua vis, tantoque tibi servata labore,
 Battavus unus ovans angusto tempore vincit.
 Æthiopum gens fusca cadit, ruit acta sub Umbras
 Deplorata cohors belli, gemituque laceffit
 Horribili trepidantem urbem, Maurosque fugaces,
Diraque

Diraque Cantabricis infert maledicta catervis,
Neglectosque Duces, spretoque objectat honores,
Funestumque malum, plagasque, irasque precatur
Vindicis, ac stricto mavult insurgere ferro
In socios, tantæ quam pendere fata ruinæ.
Mox aliquis stridore viri propensior armis
Profilit, ac sparsas animans in prælia turmas,
Irruit in Batavas sævo terrore phalanges,
Nil mortem, nil tela horrens; mox viscera rumpit
Ensis edax, miserumque latus transverberat hasta:
Hic caput, hic artus, & adhuc spirantia vellit
Lumina, & horrificis adscribit corpora bustis;
Mox alios vindicta mali, focique gementis
Fata movent, fataguntque infando vulneris ictu
Illatam pensare necem, Batavumque cruorem
Nocturnis haurire dolis, hastisque trementes
Sternere, & avulsos ferro laniare lacertos.
Protinus Æthiopum surgit violentia major,
Ac ferri vefanus amor; furibundus in hostem
Castra movet, subitoque retunditur ense cruenta
Æthiopum rabies, armis ferroque necatur
Ipse suo, meritis dignissima fata reportans.
Irrubuit terræ facies, lacerata dehiscens
Corpora, & infernis linquens spolianda cavernis.
Mænades huic quondam similem & Latonia virgo
Conspexere luem; fumanti sanguine tinctos
Novimus Aonios montes, lacerosque per artus
Ivimus, ac rubris lætata est Africa plantis.
Mox cladem ex alto pugnantiæque agmina spectans
Cantaber, ac dubii dudum discrimina belli,
Ingentes rerum casus, adversaque fata,
Frangitur, ac miseram torquet sententia mentem;
An fugere, an præstet Batavo vallante fugari?
Huc illuc se quisque rapit, tremulique pavores
Consilii reddunt inopes, animumque labantem

Nunc fuga, nunc bellum, nunc mortis terret imago,
Nunc famæ fors atra malæ, tandemque Loandæ
Meneses ductor vocem indignatus ad astra
Tollit, & ingentes fundit super æthera questus.

O Superi, per fata Deûm, per sidera testor
Innocuas in bella manus, fusoque cruore
Conspersas acies his dedignantibus armis;
Eripe me Batavûm furiis; hoc deprecor ævum,
Hanc duram Belgæ sortem, dum Belgica ferro
Conjurata venit, Regisque evertit honorem:
Instanti succurre malo; succumbat iniquus
Belga, nec extremas mundi sibi vindicet oras,
Nec regni momenta mei. ruet Africa rursus,
Et spolium prædonis erit? vastumque per Orbem
Bella geret, laurosque polo ac victricia figet
Arma, nec infandi tolles exordia belli?

O Belgam audacem! nec te capit orbita solis,
Nec coeli sublimis apex! tu sidera transis,
Obsidioque Deos cingis: nondumne ruinis
Exfatiata satis crudelia pectora dire?

Num juvat imperio totum qua se explicat Orbem
Flectere, & hoc uno deleri secula lapsu?

Proh Superi coelo tandem miserescite ab alto,
Ac Divûm gustemus opem, nec sæpè recurrat
Hæc duri vindicta mali. cur cogimur arma

Ponere? Battavicoque iterum succumbere Marti,
Et regno nocitura pati? Moxque eminus hostem
Agglomerare videns, perituraque valla Loandæ,
Cedo, ait, ac vastam permitto stragibus urbem;

Maturate fugam, victrici tradite genti
Mœnia, & Hesperia tandem sit meta ruinæ.

Parendum est, dum fata volunt. Sic ille loquutus,
Avolat, ac vacuos linquit post terga penates,
Egregiasque domos. moxque in deserta triumphans
Mœnia miles abit. cedunt munimina Belgis,

Vastan-

Vastantem exturbant Saulem, Paulumque Loanda
 Victa creat, veteresque arcet lætata tyrannos,
 Et regni deforme scelus: nil celsa Philippi
 Atria, purpureisque palatia fulta columnis,
 Nil moles Hispana nocet, si transferat urbem
 Iupiter, ac Batavis servit fortuna triumphis.

Mox nova subjectæ decantat valla Loandæ
 Fama volans, totumque implet victoria mundum.
 Nunc ruit Hesperias, Batavum nunc vergit in oras,
 Nunc vaga Brasiliæ divini moenia Pauli
 Victa canit, captique refert præconia regni.

Astur ut avulsas aquilas, latèque doleret
 Imperii fragmenta sui: proh Iupiter, inquit,
 Quæ miserum me fata premunt? quis terminus atræ
 Sortis? anhelantes iterum fortuna Philippos
 Deferit, ac prisca recidunt momenta favoris
 Lethæis devota vadis? quæ barbara cecam
 Crimina præcipitant mentem? cur major oberrat
 Tecta timor, Stygięque nocent ex ordine Diræ?
 Mens erat Hesperii Batavos exscindere terris,
 Heu subito Hesperii Batavis exscindimur armis,
 Et classis destructa gemit; sique altera surgat,
 Altera præcipiti recidit sub inania lapsu,
 Et casum Castella dolet; civilia regnum
 Bella manent, perferre pios Bragança Philippos
 Ac sceptrum regale nequit; cupit ipse tenere
 Regia sceptrum manu, nostramque invadere sedem.
 Sique novo occiduas astu tentemus habenas,
 Urere, & obtruncare viros, confundimur astu,
 Et nova Cantabrigi surgunt dispendia regni.
 Africa disperiit nostræ laus summa coronæ,
 Africa perpetui constans fiducia sceptri.
 Africa te cecæ nequeunt oblivio mentis
 Tollere, & obscuris animi mandare tenebris.
 Tu regni vis una mei. queis surget habenis

India, Plata, Peru? queis Mexica regna vigeant
 Auspiciis, si erepta mihi jacet Africa, rerum
 Nervus, & infandæ clades præfaga ruinæ?
 Non fodiet gens atra meas, velut ante, fodinas,
 Non auri proventus erit, non copia lucri
 Fulva prior, passurus honos, passura vacillans
 Fama, nec ancipites flectent oracula casus.

Mauritius devicta videns celsissima Regis
 Atria, inexhaustam stragem, tremulosque pavores,
 Ausriadumque fugam, patuloque ingentia mundo
 Murmura, post urbes opulenta accedere Belgis
 Regna, triumphales animo suspendere lauros
 Gestit, & illustrem ulterius diffundere famam.
 Insula mox subiit divi celeberrima Thomæ,
 Dives opum, rerumque potens. heic pectore Maurus
 Turget, & immensum distendit vela per Orbem,
 Magnificasque ostentat opes: heic Cantaber orbem
 Despicit, ac Superum celsos deposcit honores,
 Terrarum, pelagique satur. Vefania cæcam
 Castigat mentem. Surgit Nassavia Marte
 Sic coelo moderante rates, prosternitur Astur,
 Et sibi lethiferæ demens fit causa ruinæ.

Hic iterum Bellona fave, tua bella canentem
 Mars rege, difficilemque nega mihi Musa Camoenam;
 Mauriti nova bella cano, cui Martia semper
 Indomito vis igne calet, quo sydera lauris,
 Victaque perpetuis hilarantur regna triumphis,
 Quem sua coelicolûm sedes transvecta per altas
 Fama vehit, rebusque adspersit læta secundis;
 Qui, quò fors, quò fata vocant, stat certus eundi,
 Classicaque externum latè diffusa per orbem
 Victor, & invictis objectat belliger armis.
 Sic patrius movet arma vigor; sic otia nescit.
 Mens celsò prognata polo; sic tertia mundi
 Machina Nassavicis iterum succumbit habenis;

Cum

Cum Iove divisos credo bellare potentes,
 Semideosque Duces, junctisque insurgere fati
 In Siculi Rectoris opes, sævique Tyranni
 Atria, & excelsos folio turbare Philippos.
 Tu mihi si Macedo, vel tu celeberrime Galli
 Devicti domitor felix post fata recurras;
 Si vel Agenoreus rector, faustamque videret
 Mauritiū sortem, veterum superata putaret
 Secula, & agnatas aliis succedere mentes.
 Miramur majora Duces. vel vivere credam
 Vos fato majore Ducis, vel fata beare
 Hoc Duce defunctas animas, extinctaque rerum
 Nomina, & è tenebris claram splendescere lucem.
 Hic nova lætatam pariunt oracula mentem,
 Rursus ovans alibi Belga est, animamque Philippi
 Enervat Mavortis honos, sublimior aura
 Nassavios afflare duces, segnescere dextras
 Non finit, aut veteres animo deponere lauros.
 Africa Nassavii cedit victricibus armis,
 Inferior bellace manu. juvat ire per orbem,
 Et procul externo lauros suspendere mundo.
 Progreditur Battavus ovans, tumidasque per undas
 Fortis abit, divique attingit mœnia Thomæ,
 Ac debellandum è ponto caput adspicit arcis,
 Hesperiasque domos. animos sibi quisque viriles
 Aptat, & hostiles vocat in certamina turmas
 Inflammatus Iber; flammisque à mœnibus hostes
 Impavidos arcens, magno clamore laceffit
 Mœnia, & insano accendit Mavortis amore
 Terribiles virtute duces, sævoque ululatu
 Antra fremunt, coelumque alto stridore remugit.
 Sævit atrox ferrum, rabiesque insana Gradivi
 Surgit, & horrifoni resonant super astra boatus,
 Excelsique lares imis æquantur arenis.
 Vastatur tellus, maculatur sanguine pontus,

Singu-

Singula præcipitem conjurant fata ruinam.

Hunc primum exitii casum dum ponderat Astur,
 Valla petit, divique ingentia moenia Thomæ,
 Turritasque arces: illinc balista tremendo
 In Batavos vomit ore globos, resonantia ab altis
 Moenibus æra boant, strepituque horrescit Olympus.
 Atlantem ruere, ac ratibus vicina putares
 Sydera, concussamque suas confundere leges
 Naturæ matrem. sævo stridore perantrum
 Vulcanus ruit, ac moles Cyclopes ahenas
 Præcipitant, vastique ingentia murmura miscent.
 Quàm stillant sudore poli, pelagoque resurgit
 Acris hyems, quàm tota tremit natura vacillans,
 Fractaque fulminibus vastos telluris hiatus
 Rumpit, & irato confringit carbasa rictu
 Vis violenta globi, rapidaque Enchusa ruina.
 Navis obit, pereuntque vago pugnacia ponto
 Corpora, & ingentem vastant tormenta carinam,
 Egregiosque Duces. lapsu hic (mirabile visu)
 Vulnerat Oceanum, fluctus mox alter aquarum
 Sorbet, & immani concussus morte recumbit.
 Pro patria hic gavissus obit; non mille malorum
 Culmina, non totidem mortes incensa retardant
 Agmina, & à primis arcent vestigia pugnis.
 Undique terrisonis quatiuntur moenia bombis.
 Hinc lævam è terris, dextram hinc ex æquore partem
 Invadit furibunda manus; ruit undique prædæ
 Belga inhians, totisque exardet viribus arcem
 Subdere, & Hesperii iterum dominarier arvis.
 Mox tenebræ cæptum abrumpunt, nox atra labores
 Ambigui sopit Martis, totoque quiescit
 Pectore Maurus iners, somno mox obrutus alto,
 Ecce fugam Batavi ante oculos, prospectat Iberus,
 Tergo instat, rapidisque ferit fugitiva sagittis
 Agmina, & Hesperii Regis sibi vindicat arcem.

Vocem

Vocem aliam mox audit Iber; quid corpore stertis
Securus? descende thoro, laus vestra paratur,
Concussumque decus, totiesque attrita potestas
Vindictam regalis amat, divoque querelæ
Oblatæ Thomæ; facilem vagitibus aurem
Præbuit, auditasque preces in corde reclusit.
Ille suas servabit opes, ille inclyta regis
Atria, & anxiferæ commisit moenia curæ
Hesperiae patronus opis: si numine quondam
Adversæ cecidêre manus, sique arma ruinis
Infandis stravêre duces, jam tristia condunt
Bella, nec offensam patitur sanctissima Thomæ
Gloria, decussumque decus non linoquit inultum.
Mox rapit è somno corpus, mediamque per arcem
Irruit, haud aliter quàm si percussa sagittis
Cerva fugit, saltusque omnes clamore fatigat:
In rabiem prorumpit Iber, sociosque fideles
Incitat, atque imo furias deducit ab Orco
Tartarea Bellona tuba, rapidoque recurso
In Batavos insurgit atrox, requiemque labori,
Ac finem hoc ausu sperat. Quam fallitur Astur
Omine, quam duri sentit præsagia lapsus!
Nil Batavo furibunda manus, nil terror Iberi
Officit, invictumque foveat discrimina Belgam,
Impavidosque Duces; nullo turbata pavore
Corda gerunt; vis nulla fugam nec inertia suadet:
Lethiferos pugnax rictus, ferrumque cruentum
Despiciat, ac pulsus rediit lux alma tenebris.
Non sua magnanimis virtus erepta Batavis,
Arma armis immixta fremunt, convulsaque stridet
Dextera, probrosâque fugâ maleficus Ibero
Subtrahit exanimem tanto discrimine gentem.
Mox deserta sui repetens munimina valli
Crudeles vomit ore sonos, atque aspera plorat
Fata, nec infandam minuunt oracula poenam,

Bb

Nec

Nec Thomæ devotus honos, sanctique theatri
Gloria, numinibus toties defensa benignis.
Siccine Cantabricam vexent infomnia gentem,
Ductor ait, sic sancta suis munimina Sanctis
Tutantur? sic regna lue pia numina coeli
Conspurcanda dabunt, nec in ipsos crimina Sanctos
Foeda redundabunt? hic me Pater eripe flammis,
Ac turpes averte dolos; te nostra fatigent
Tempora, & infaustis præsens succurre periclis.
Sanctorum vilescit honos, sua nomina quisque
Negligit; in mediis linquunt suspensa procellis
Pectora. an avulsas iterum plorabimus arces
Iupiter? Hesperios sic castigare penates
Fas erit, atque novis regalem exscindere sedem
Cladibus? an turpi Austriacos evertere labe
Sanctorum divûmque decus? diffidimus ultra
Numinibus, strictisque locamus numen in armis.
In dextra pugnantis erit fors una, Philippi
Gloria, & infandi Batavûm jactura popelli.
Surgite Cantabricæ Mavortia nomina pubis,
In ferrum ruite, ac tetrîs stridoribus agros
Inficite, horrendisque infringite carbasa bombis,
Nec Batavus prædator ovet, camposque patentes
Vastet, & ingentem horrifono clamore ruinam
Inferat. Heu rerum vultus, violataque regis
Moenia. tutantes videas munimina Mauros
Sulphureos jactare globos, rutilosque ciere
Igne polos, totumque incendere sulphure mundum,
Hic parere ignitos lethalia vulnera glandes,
Naturam ruere, ac raucis horrescere bombis
Æthera, stellatamque domum. Rem conspicit acer
Battavus, intrepidusque viros in prælia ducit,
Divinæ confusus opi: non horret Iberos,
Infanosque Duces, propiusque in valla recursum
Surgit, & indomitum sequitur victoria Belgam.

Dici-

Dicite felicitis pugnacia pectora seclī,
 Dic mihi Roma potens, dic Græcia, dicite Athenæ,
 Dic Macedo, num major honos, laudumque patefcant
 Nomina, quam tulit occiduo victricia mundo
 Naffavicæ virtutis apex? post regna Loandæ
 Magna triumphatæ surgit victoria terræ,
 Nec lauris stat meta novis; cadit insula Thomæ,
 Et Batavis invisus honos. quam gloria vastum
 Æthera, terrarumque vias ac sydera transit,
 Partaque Brasiliæ splendent numina terris!
 Sic Tartessiæ recidit fiducia sceptri,
 Majestas, ac regis honos; cladesque fuorum
 Persentit Castella ferox: jacet obrutus armis
 Inviæ virtutis apex; victricibus armis
 Imus in Hesperios, astris famulantibus, hostes.
 Frangimus indomitas arces; spoliāmus honores,
 Austriacas partimur opes, regniue tiaras;
 Celsaque Battavicæ prostant communia genti
 Sidera. Brasiliæ Astur si tentet habenas,
 Belgarumque auferre decus, Batavosque cruentis
 Stragibus, ac sævo terras exscindere ferro:
 Infidiæ mox sponte nocent, adversaque rerum
 Fata, nec occiduas Mauro contingere glebas
 Æthereus permittit amor, ruit alta potestas
 Regia, fidereæ franguntur ab æquore puppes,
 Adversæque rates; renuit spirare secundus
 Auster, & ingenti se tempestate tuetur,
 Brasiliæ tutatus opes, gentemque Deorum.
 Sævit Iber, rapidasque vomens è pectore flammās
 Increpat injustos factō super æthera divos;
 Atque alia invito flagrant dispendia cœlo.
 Cæde, rogis, furiisque, Batavam evertere gentem
 Hispanus meditatur atrox; rursusque resistunt
 Numina, & ultrices demittunt cœlitus iras.
 Astum astu pensant Superi. Bahia parandi

Fata gemit, devicta dolent invicta Loandæ
 Moenia, consternata jacet divi insula Thomæ,
 Seraque Battavicas lacrymans admittit habenas.
 Rursum alibi, rex magne, tuam decanto ruinam.
 Otia nec tellus, nec ponti triftis imago
 Largitur, clades illas iterata sequuntur
 Prælia, & Austriacis alibi dominamur arenis.
 Vix nova Brasiliacas implet victoria terras,
 Regnaque devictasque urbes gavisâ triumphat
 Fama volans, lætoque hilarat modulamine mundum,
 Occiduasque plagas; alio vis enthea mentem
 Abripit, indomitæque calor. nova prælia condit
 Bellator, priscisque viget fiducia fatis.
 Externo Mars orbe furens satis ampla subegit
 Moenia, & invictas arces: gemat insula Thomæ,
 Africa Cantabrici ploret dispendia regni:
 Hic Americanas extendere latius oras
 Fervor agit, partisque novas annectere lauros.
 Dumq; animum huc illuc celerem, partesq; per omnes,
 Dux flectit, tumidosque flagrat prosternere Mauros,
 His mentem explebat dictis, hæc ore sonoro
 Effatus: Quam celsa potens Fortuna revellit
 Atria, quam justis compensant numina plagis
 Infandum scelus! horrendis concussa ruinis
 Ingemuit, rabidisque arsit Brasilia flammis,
 Interitus præfaga sui. jam proxima letho
 Numinis æthereos persensit anhela favores,
 Et vitæ fomenta novæ. ruit insula Thomæ,
 Et nostris fit præda bonis: nec America tantum
 Surgit, & erectis figit vestigia plantis;
 Inclyta Nassavicus superadditur Africa sceptris,
 Et fasces devicta suos transcribit & enses.
 Mox alias tentabo vias. mens nescia claudi
 Finibus, occiduas alibi properabit in oras,
 Regnaque funestis extendet longius armis.

Tu

Tu mihi quæquondam celebris super astra Maragnon,
Nunc iterum armatas urges in prælia turmas.
Hoc cur diffimulem facinus? lubet ore fateri;
Ante tuam volui ferro tentare ruinam,
Victricesque inferre manus, populumque ferocem
Fundere, sed visum hanc Superis avertere mentem,
Et nova Brasiliis superaddere regna trophæis,
His nostros firmare lares, flagransque periculum
Sistere, & immanis discrimina pellere cæpti.
Ad votum res gesta meum: cecidere Loandæ
Mœnia, & à divo referens sua nomina Thoma
Insula: Nassavicus mærens Castella triumphis
Ingemat, ac miseros tollat super æthera planctus;
Ad primos me fata movent ardere labores,
Et prisca urgere vias: superanda Maragnon,
Nostraque Cantabricis splendescat gloria damnis.
Dixit, & extemplò referans stridentia ferro
Limina, bella parat, classemque in littore turmis
Instruit, ac tali fertur mox voce loquutus:
Heroum celebranda cohors, tuque inclyta Martis
Progenies, navale decus, si robore quondam
Battavico Hesperiiis alibi valuistis in oris,
Hic quoque Brasiliis insurgant nomina terris.
Ite viri, superate duces; fortuna potentes
Erigit, ac trepidos Stygiis adjudicat umbris:
Irruite impavidi; medias properate per undas,
Vincite, & audaci muros conscendite nifu.
Exsanguis dudum ossa pavor, mentemque pererrat
Asturis, obstupuit tanti discrimina belli,
Et vafros Belgarum astus, natumque Sinonem
Horret, & immani nescit se lege tueri.
Occidit ante diem Hispanus, Batavosque Maragnon
Ferre impar, vestris subito exultabit habenis,
Et lauros admittet ovans, pugnantibus ultro
Subscribet, Batavumque ardebit victa coronâ,

Lætaque magnificis me bellatore triumphis
 Surget, & Hispani rigidis se subtrahet armis.
 Vade meis Koini studiis, propioreque fato
 Utere, præteritis audax confide trophæis,
 Et Minæ te firmet honos, devictaque Mauri
 Gloria, & Austriaco virtus subducta Philippo.
 Tu quoque Neptuni soboles, mediisque sub undis
 Lightherti nutrite, novas in prælia vires
 Suggere, & auspiciis Divûm famulantibus usus
 Undique spumiferis pulsata fluctibus arcem
 Concute; Brasilicis redeat Victoria terris.
 Extemplo dant vela Notis; vis nulla ruentes
 Detinuit, calidosque animos à Principe quisque
 Sumpsit, & æquorei fulcans vada cærulea ponti
 Inclyta vincendi coram munimina regni
 Prospicit, æstiferis ardens insurgere flammis,
 Et captas habitare domos: tormenta boatu
 Sæva tonant, mediamque volant immissa. per urbem
 Pila: cruentato succumbit vulnere cæsus
 Astur, & horrenda rursus se glande tuetur;
 Progreditur Battavus ovans, vallisque propinquat
 Fortius, invictosque Duces tellure reponit,
 Et debellandos propius meditatur Iberos.
 Horrescunt ad bella hostes, Batavasque phalanges
 Impavido glomerare gradu, rectaque sub urbem
 Irruere; heu quis corda pavor, quæ pectora rupit
 Cura Ducis! quàm se partes transfudit in omnes,
 Iam gnarus, quo vergat opus, quo numine Belga
 Vincat, & intrepido ruat in certamina Marte.
 Mox Batavis occurſat Iber, veniamque precatus,
 Et vitam supplex, rediit tranquillus in urbem
 Maurus, & oblata decantat munera fortis;
 Egreditur ductor; (saltem illa forte beatus
 Nassavio quod sceptrum paret) mox fœdera dictis
 Confirmat, tribuitque fidem recipitque vicissim,

Vieta-

Victaque Battavico cedunt munimina regno.
Hicque iterum Austriacos avelli regis honores
Cernimus, hic Batavos extremis orbis in oris
Mauritio Duce belligeras suspendere lauros;
Raptaque Nassavicas admittere regna secures.
Iamque triumphabat media Battavus in urbe
Victor, & altisonis resonabat plausibus æther,
Celsaque festivis gaudebant plausibus astra.
Mox redit ad fraudes, scelerumque immane resumit
Ingenium vesanus Iber; victoria felix
Displicet, ac partos nescit perferre triumphos;
Arma rapit truculenta manus, noctuque phalanges
Urget, & infandas agit in certamina dextras.
Heu fusus tellure cruor, scelerataque Mauri
Dextera, quid iusto victus Mavorte piaculum
Dire paras, cæcaque audes excindere nocte
Incautam Batavorum aciem? moxque horrida spectat
Agmina, & infidam ruere in certamina gentem,
Horrendosque dolos: incenso Marte resistit
Battavus, atque tuis Hinderson vivit in armis,
Fulsaque præclaro constat victoria cæpto.
Interea rumore novo ferit æthera Fama,
Lætaque Brasílico pacem denunciat orbi;
Claudendas belli portas, communibus hostem
Hesperium invadendum armis, Regemque Iohannem
Cum Batavo junctis jurasse in foedera dextris.
Vixque ea Brasílicas implent miracula terras;
Paxque Americanis post tot discrimina belli
Tractibus affulget, populusque in pace quiescit,
Nassavium majora manent; Bellacia Martis
Pectora pacificis detrectant vivere regnis.
Ductorem fors major agit, sitiuntque labores
Battavici rectoris opem. Vade inclyte Ductor,
Quò tua te virtus, quò te tua fata reducunt:
Hic lauro stat meta tuæ, victoria, laudes,

Major

Major honos, surgetque alibi tibi gloria major,
 Et pia laudatis subscribent numina votis.
 Occidui domitor mundi, quæ Musa triumphos,
 Quis furor impavidæ referat miracula dextræ,
 Victricesque manus? altè super æthera scandis,
 Sidereasque domos pulsas, cœloque refulges,
 Claraque mundivagæ rides encomia famæ.
 Proxime Dîs Ductor, quo nil complectitur Orbis
 Altius Occiduus, quo nil sublimius ambit
 Gloria, Brasilicas nunc tandem desere terras,
 Martiaque Auriacis infer tentoria castris.
 Hic tenuis si fortè meæ præconia Musæ
 Spreveris, ac dignum cupias te principe vatem,
 Illic Aonides, illic cælestia Phœbi
 Pectora, Pieridumque chori, comitataque sacris
 Ordinibus te fata manent; sequor ipse per undas
 Victorem: quæ vena mihi, quæ Musa recusat
 Ardua, supplicibus reddent pia numina votis.

F I N I S.





ANTONII THYSII IC.

Et Professoris in Academia Leydensi

DISCURSUS ORATORIUS

Ad Illustrissimum Comitem

I. MAURITIUM NASSAVIUM,

Brasilæ Terra Marique Imperatorem, &c.

Cum feliciter in Hollandiam reversus, urbem Lugduno-Batavam

& Academiam lustraret.

ANTONII THYSII IC.

DISCURSUS ORATORIUS

Ad Illustrissimum Comitem

I. MAURITIUM NASSAVIUM, &c.

IAndem vero expectato tuo vultu fruimur invictissime Imperator, qui alterius cæli sidera in obsequium tuum traxisti, cuius horrorem & stuporem licet vasto mari diffiti nondum exuerunt Barbari, cuius floridam inventam toties ferociens unda asperfit, quem denique flagella hæcenus ventorum ita exercuerunt, ut modo cum aplustribus nubibus immixtum cælum veluti invidum ad se traheret, modo rursus à violentia maris profundissimo gremio Nereides absconderent. Metuebat tibi nostra Resp. ubi ferocienti primum mari te commisisti, ne gurges ille immensus aquarum te tuasque virtutes obrueret. Gaudebat quâdo alterius mundi cardines salvum atque incolumem te tetigisse intellexit, ubi calore tuo atque impetu calorem nimium solis vicisti, perrupisti. Iterum angebamur ubi post tanti imperii pondus libratum, victoriis onustus, non secus atque Ulysses per duplices undas cursum tuum instituisti. Horruimus, ubi inhorruerat mare, explicuimus frontem ubi asperitatem suam mitigavit, & furorem contraxit immensus Oceanus. Numeravimus singulos dies, & quo propior nobis esses, eò desideria nostra & vota magis arctabantur. Tandem verò venisti, venisti Maxime Imperator. Hæsitat jam ac titubat mea oratio, quia nervi linguæ præ gaudio impediuntur. Ecce, ecce circumfusi cuncti
* * 2
ordines

ordines à Neptuno fluctibusque adhuc spumantem, madentemq; te amplectuntur. Porrigimus nos quoque dextras, & linguæ ministerium hoc quaecunque vobis consecramus. Utique liceat mihi dicere, Comes Mauriti, fortunæ tuæ veluti consortem me fuisse, dum virtutes tuas & laudes arido hoc scribendi genere exprimere conamur neque possumus. Ad imaginem enim singularum virtutum abripitur accenditur oratio, sed tanto inferior est, quo tu superior es omnibus. Liceat iterum mihi dicere, cum tu maria fulcabas, montes aquarum nobis obversabantur, ubi tu ventis agitabaris, spirituum densæ nubes nos angebant, ubi tu prælia inibas, sanguinolenta erat nostra pagina, ubi tu triumphabas, calamus hic noster triumphabat, ubi tu incolumis rediisti, arteriæ nostræ spiritu vitali intumuerunt, ubi denique sacratissimū hoc Palladis templū intrāsti, parietes ipsi loquuntur, delubra denique præ lætitia moveri videntur. Nemo autem hic expectet, ut dum tantus imperator à mari adhuc uvidus oculos hic nostros præstringit, ego virtutum eius Oceano me committam, ubi certissimū orationis nostræ futurum sit naufragium: sed certis me limitibus atque cancellis cohibebo, ne fluctuans nostra oratio ludibrium ventis debeat. Quanti primo per Deum immortalem illud animi indicium, cum in hoc belli turbine toties virtus tua conspicua fuerit, & certi tibi destinarentur honores, furores potissimum eligere Oceani, ardentem lineam contemnere, alterum orbem invadere, & cum fesso Sole curas suas fatigare? Incultum Barbarorum genus, qui viscera sua humana carne distendunt, ad normam vivendi redigere, hostem ibi quærere, ubi & alii siderum influxus corporibus nostris nocent, ubi æterna

terna veluti æstas cutem comburit, ubi denique non tantum cum hoste, verum etiam cum ipso sole pugnandum erat? Et quænam alia causa, quam commodi publici ratio fuit? Si enim generosus eius animus gloriæ cupidine æstuabat, tot inclyti militiæ in hac Batavia labores amicos & inimicos laceffebant. Testatur hoc cæsus foede Papenheimius, & cruore suo veluti involutus, cum Trajectum ad Mosam exercitus noster obsidione stringeret, testatur hoc validissima arx Scenkiana ex faucibus potentissimi hostis erepta, Rheni & Vahalibus revulsa claustra loquuntur, testantur pro patria inflata non semel vulnera. Utique generosissimus ille ignis difficillime hic suis se cõarctabat limitibus, sed immensam novi orbis tellurem in vota sua rapiebat, & penetrabilibus auri, quod ipsius adventu expalluisse dicitur, hostem prohibere tentabat. Ita spiritum non prius quam cum sole stitit, & sub ultimo cardine, cardo quoque & limes sui desiderii fuit. Ignaviæ signum, semper suæ telluri tanquam cochleæ adhærere, divinum est, cœlum æternosque ignes imitari & nunquam eodem loco consistere. Non tenuit te patria nostra, Illustrissime Comes, quia te illa non capiebat, virtutis autem tuæ nomen & veneratio iam tum Barbaros suspensos tenebat, antequam Brasiliam teneres. Tanto sunt celeriores animorum ingentium ideæ atque imagines, quam corporum, quæ suum secum circumferunt carcerem. Conatus quidem vestros, statim atque è Batavia solveres, iratum atque turgidum mare comprimere tentavit, dum ventorum rabies, rapidique aquarum vortices undique naves lacerant, disjiciunt, tu vero imperterritus animo, fluctuum decumanos montes fregisti, eructantem contemp-

psisti Oceanum, ficcisque oculis infames præternavigasti scopulos. Vtique Iupiter ille Hesperius (Regem dico Hispaniarum) cæli cardines veluti transponi, atque Arcton in Occidentem migrare indignabatur, aureisque terræ suæ visceribus, queis hætenus bellorum tantos sustinuit impetus, jure metuebat. Hoc quidem pertinacia ventorum peractum est, ut cursus relictos iterare necesse fuerit, sed mox & mare & ventus & cælum voto tanti Principis affulsere. Iamque adeo vastis cogitationibus æstuabat eius animus, atq; in ipso itinere triumphos sibi meditabatur. Vix optatam terram salutaverat, cum moræ impatiens, iram atque vindictam in hostem effudit, & nobilissimo ad Portum Calvum prælio virtutem suam probavit. Videor, videor mihi adhuc fumantem hostili sanguine tellurem, rubrisque veluti vaporibus tinctum cælum aspicere. Etsi autem utrinque paribus fere armis pugnatum sit, singulari tamen prudentia atque fortitudine invictissimi nostri Imperatoris, qui cunctis fere se devovebat periculis, & modo primis modo extremis ordinibus immixtus milites singulos urgebat, incitabat, id peractum est, ut profligata tandem hostilis acies in Portum Calvum se reciperet. Ibi vero fortissimus Imperator, etsi nonnullis dissuadentibus, Fortunam prensavit, & munitissimam arcem operum admiranda solertia, & machinarum violentia ita preffit, ut tandem effugere ejus potentiam non potuerit. Virtutis autem in hac obsidione exempla & amici & hostes prædicarunt, & purpureo aspersæ sanguine vestes ostentabant, Iamque adeo incultos Barbaros & Lusitanos ubique tanti nominis horror perculerat, ita, ut uno impetu ultra quinquaginta miliaria usq; ad ipsum Fran-

Francisci fluvium imperium latissimum extenderit , atque in propinquo hostium cōspectu trans rapidissimum amnem munimentum invictum erexerit noster Imperator. Neque vero armis tantum hostem vicit , sed placidissimo benevolentiae vinculo ad se traxit , rapuit. Effusus clementiâ & modicus severitate caritatem atque auctoritatem sibi stabilivit. Ita imperium eius non tantum agnovêre Barbari , quibus facile erat mutato domino mitiorem servitutem servire , verum ipsi Lusitani posuere suos spiritus , & modestiae eius lubentes cervicem tumidam subdiderunt. Ita ut non victi , sed naturali quodam amoris glutino inserti Reip. nostrae viderentur. Nihil arctius mortalium animos conglutinat , quam civilis quaedam humanitas , & benevolentiae salutaris aura , nihil autem aequè pungit pectora , quam metus & terror infirma caritatis vincula. Victoriis non insolescere , sed modestiae modum tenere difficile est. Inconcusso atque immutabili animo esse , neque lubrico Fortunae moveri divinum semper judicavi. Uti enim Deus immortalis omnium mutationum expers sibi ipsi solum incumbit , ita is divinam naturam proxime sequitur , qui nullis Fortunae flabris movetur , neque adversis dejicitur , neque secundis erigitur. Verum non armis tantum , sed & legibus devincienda erat nova Respublica. Difficilius utique devictae provinciae in officio continentur , quam occupantur. Itaque prudenter admodum Lusitanum iisdem fere legibus strinxisti , quibus nostri devinciebantur. Concordiae mater aequalitas ; deditis verò suum quoque tribuere honorem , potentiam autem illorum simul deprimere & contundere , summæ sagacitatis indicium est. Honores modicos,

& magistratus mixtim cum nostris urbanos tribuisti, supremos denegasti. Salutare hoc erat nostræ Reip. neque nimis illos deprimi, neque nimis extolli. Qui deprimuntur, res novas quærunt; qui extolluntur, imperium cogitant. Quibus autem modici objiciuntur honores, gloriâ tanguntur, majora autem tentandi vires defunt, & nemo tranquilla Rep. optat quod non potest. Cum autem nulla imperia ignaviâ contineantur, quanto molimine iudiciorum leges atque ordines restituisti Illustrissime Comes, & morum ferociam nimiamque licentiam tuo emendasti exemplo? Prudentis est agricolæ lolia extirpare, ne optimam segetem collidant & opprimant: prudentis est Imperatoris, leges noxias emendare, antequam Remp. premant. Sicuti autem noxiæ nonnunquam plantæ ita alte se telluris gremio inseruerunt, ut, si extirpentur, vastâ lacunâ atque hiatu optimas secum trahant plantas, ita nonnulla Reip. vulnera in tam perditâ Reip. facie intacta relinquere satius fuit, quam totum corpus convellere. Magnus utique & armis & pace fuisti Maxime Imperator, major adhuc, si ita loqui fas sit, religione. Illud maximum credidisti imperium, servire Deo tuo, qui regna, principatus, singulis terrarum dominis distribuit. Illam optimam credidisti purpuram, quæ sanguine olim Servatoris nostri tincta: illam gloriosissimam coronam, quæ nullis intertexta gemmis, sed spinis horrida caput ejusdem lacerabat. Neque vero fucata fuit hæc pietas, sed quam singulæ virtutes cingebant. Nulla admodum simulata religio potest esse sempiterna, sed tandem tumido cordis ulcere erumpit, & in lucem prodit. Tu autem tibi semper similis nullam
fere

fere unquam sacram prætermisisti concionem, ne Deum neglexisse videreris. Testem habemus eximium virum Franciscum Plante sacrorum in aula vestra antistitem, qui sublimi versu laudes vestras æternitati consecra-
vit: & qui ex ejus orè mihi retulit Constantinum hunc Imperatorem, Opwici & Malerithi dominum, cujus spectata virtus, ingenium, prudentia antea meruerat, ut amplissimo consiliariorum vestrorum ordini infereretur. Neque verò legibus vitæque tantum tuæ exemplo stabilivisti Remp. verum & leges ipsi mari posuisti, ponte lapideo aquas indignantes à Recifa usque ad Sancti Antonii Vazii insulam stravisti. Fremebat spumisque collis irascebatur Oceanus, violentos æstus promovebat, lapides convellebat, sed fracti tandem fluctus subsedere, atque objecta validissima repagula inviti concutere nequiverunt. Ibi vero urbem Mauricæam, æternum tui nominis monumentum condidisti, & non secus atque Hercules columnas circa fretum Gaditanum erexit, ita vestra Excellentia novam urbem & palatium splendidissimum posteris consecravisti. Quies-
tus hætenus pacis artibus fuit noster calamus, nunc iterum horret, stridet, ubi ad bellicos vestros sudores se accingit. Ne enim de Siarra & Maragnone subactâ loquar, quanti hoc moliminiis fuit ipsam Africâ vasto intermedio gurgite invadere, neque spiritum suum in America claudere posse? Testes ibi laborum vestrorum dives Angola atque Æthiopum sedes Loanda, testis combusta suo calore sancti Thomæ insula, ubi fervida linea cælum ipsum scindit atque dividit, & semper paribus horis noctes atque dies secat. Ita brevibus momentis summa quæque vertebantur, & fortunæ nullus
modus

modus imponebatur. Quisnam autem digne memorabilem illum navalem triumphum prædicet, cum immensa classe octuaginta præter propter navium Recifæ modo, modo Paribæ immineret infensissimus hostis, extrema quæque minaretur? Prudentia atque fortitudine tanti Imperatoris littoribus pulsi hostes, exigua navium nostrarum copia ita laceratæ puppes hostiles, ut infami naufragio totum fere mare inter Africam & Americam coöperuerint, & vastæ illæ moles ac castella maris, quia se vertere nequibant, ubique agilitate rostratarum nostrarum navium cingerentur, & vel ignium furori objicerentur, vel violentia maris absorberentur. Cui quidem victoriæ ipsum cœlum spirantesque venti famulabantur, & veluti plenis velis ad triumphum concursus est. Credibile profecto est tantâ classe devictâ vel submersâ exultasse vicinas rupes, quæ hætenus inconcussæ prolixo aggere Recifam claudunt, Barbarum flumen Bibiribi ebullisse, denique & mitiorem ipsius aëris regionē fuisse. Nihil denique de expeditione Chilensi dicturus sum, ne in adulationē incidere videar, à quâ abhorruit animus noster semper quam maxime, & putidū est in tanta laudum segete singula anxie conquerere. Magna hætenus diximus, majora adhuc restabant, Auditores, nisi Lusitania Castellam eiurasset, amicitiaq; foedus nobiscum contraxisset. Rediisti itaq; invictissime Comes quia meliorem hic præstare operam poteras, rediisti quia te novi atque supremi honores vocabant, dum post Imperium & dictaturam Principis Gulielmi substitui te magistrum Equitum voluerunt potentissimi foederati Proceres. Accessit simul præfectura Vesaliensis longe amplissima. Persolutum est tandem quod virtutibus

bus

bus tuis debebatur, quæ in una personâ concumulatæ sunt. Emicuit aliquis belli gloria, pacis artibus eviluit, tu verò arma humeris gestare, & imbelli oliva caput impedire simul potuisti. Victoria multi enituere, sed suorum vitiorum turpissima fuere mancipia. tu vero teipsum vicisti, dum singulis vitiis bellum indicis implacabile. Atque hic quidem latius victor est; quam qui utrunque orbem sibi subegit. Ita duplicem obtinuisti victoriam, dum hostem & teipsum vicisti. Publice & privatim temperans; veneris illicitæ, alexæque exosor maximus, cibi atque potus parcus, nunquam otiosus, à superbo vestium cultu alienissimus, Iustitiæ rigidus exactor, religiosus divini numinis cultor, non tantum stuporem nostris vel Lusitanis incussisti, sed ipsos Barbaros & nomine & moribus Tapuiarres ad tui obsequium traxisti. Exemplum utique Principis multo magis stringit, quam arctissima legum catena, & fama virtutis in mortaliū animis validissima est: speculum veluti publicum est Princeps, quod omnes intuentur, in quo virtutes & vitia vitro perucidiora apparent. Quanta autem prudentia veteres Reip. morbos per dura & aspera coërcuisti, qui sanari nequibant non attigisti, ne periculum vulneris intima quæque convelleret? Nonnulla quoque minora vitia prudens dissimulasti, quia principis est omnia scire, quibusdam ignoscere. Et summa est sapientia, quæ corrigi vel emendari nequeunt; silentii quodam velo tegere. Tandem vero, tandem Illustrissime Comes, finem Orationi nostræ proprius noster pudor imponit; quia vestræ magnitudini sterilis hic calamus par esse nequit, vel illam ullo modo assequi. Facillimè è carceribus laxis habenis erupimus, nunc vero dum metam circumver-

cum vertimur, maximum periculum est, ne rotæ atq; axes frangantur. Eo calor atque impetus iuvenilis, vel potius nostra audacia prorupit, ut simul cum oratione in gyrum vertamur, celeriq; volumine contorqueamur. Niti-
mur in adversum? jâ certus casus imminet: tacemus? iâ fa-
me & nominis nostri, si aliquod est, insignē iacturam pa-
timur. Tacendi tu potius necessitatem, nobis impone
Illustrissime Comes, ita nihil de minuetur gloriæ vestræ,
& salvus atq; integer nobis hic honor constabit. Videor
jam nutantem tuum vultum intueri, atque oculorum fa-
ces in me torqueri. Ignosce tamen mihi Comes Mau-
riti, si neque adhuc tacere possim. Pulmones quidem
anhelant, fauces strepunt, palatum non amplius resonat,
aër immodulatus dentibus colliditur, lingua tamen
balbutire hæc ultima verba cogitur. Salve invictissime
Imperator MAURITI, Maurorum domitor, Nassovicum
inclytum germen, virtutum vera effigies, belli horren-
dum fulmen, salve Africane, salve Americane, Pie, fe-
lix, atque triumphator semper magnifice.

F I N I S.



